8311

DE PRAECIPUARUM PRAEPOSITIONUM LOCI USU LUCRETIANO.

DISSERTATIO ACADEMICA,

QUAM

VENIA AMPLISS. PHILOS. ORDINIS ACADEMIAE ALEXANDREAE

PUBLICE DEFENDET

ERICUS HERTZ.
Mag. philos.

in auditorio hist. philol. die 25 m. martii a. 1891.

h. a. m. s.

HELSINGFORSIÆ.
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA J. SIMELII HEREDUM.
1891.

Sermonis Lucretiani indolem quisquis cognitam habet, concedat necesse est, plurima in eo esse antiquitatis vestigia. Quamobrem qui in eum qui est proprie Lucretii colorem indagandum incubuerint, non puto eos inutile atque infructuosum suscepisse opus. Neque defuerunt qui huic poetae emendando atque legibus sermonis eius investigandis maximam operam navarent. Namque ut omittam Carolum Lachmannum aliosque editores, a quibus haud pauca inventa, quamvis non semper ratione et via in lucem prolata sunt, multae de variis huius sermonis rebus exstant quaestiunculae. Neque tamen quibusvis vel summis studiis factum est, ut hic fons antiquitatis Romanae exhauriretur; etiamnunc cum fructu revertetur quicumque ad eum se contulerit. Ad hunc igitur scriptorem animum cum advertissem, praepositiones ego tiro pertractare constitui. Ad quod priusquam adgrederer, opera mihi perlustranda erant duorum potissimum virorum doctorum, quorum alter H. Keller **de verborum cum praepositionibus compositorum apud Lucretium usu** *disseruit neque tamen ullam de natura sermonis Lucretiani in structura verborum singulorum obvia propriam protulit sententiam et variis tantum verborum, neque omnium, structuris ieiune enumeratis de ipsa Lucretii ratione singula verba componendi pauca tantum absolvit, reliquit multa; alter G. Holtze, in opusculo, quod* **Syntaxis Lucretianae lineamenta** *inscribitur, cum* **usum praepositionum ante casus Lucretianum** *leviter tantum perstrinxerit, ne hanc quidem quaestionem omni ex parte perfecit. Restant igitur maxime in digerenda materia discriminibusque significationum investigandis*

haud pauca in quae accuratius inquiramus. Quod ut facere conarer cum mihi persvasum esset, atque iam aliquantum temporis in eo consumpsissem, ut de omnibus praepositionibus quaererem, id tandem mihi proposui, ut iis, quae mihi **de praecipuis loci praepositionibus** *adnotanda visa essent, quam fieri posset accuratissime collectis aliquid saltem, quantumcumque et qualecumque esset, ad naturam praepositionum recte intellegendam atque perspiciendam adferrem. Sed cum* **ab, de, ex, ad, in** *artiore vinculo inter se cohaererent,* **inter, per** *aliaeque loci praepositiones ab his quodammodo distarent et nihil fere commemoratu dignum praeberent, quinque illas tractandas mihi proposui.*

In exemplis adferendis non putavi operae pretium esse omnia ad unum exscribere; iis, quae ad illustrandas res necessaria essent, exscriptis satis habui notare, ubi prorsus similia reperirentur.

In corruptelis et dubiis lectionibus diiudicandis eos tantum locos, in quibus de praepositionibus ageretur, adhibui, ceterum aut commemoratis aut plane omissis variis lectionibus editionem secutus sum Lachmannianam.

Editionibus *usus sum his:*

T. Lucreti Cari De rerum natura libri sex Carolus Lachmannus recensuit et emendavit, editio quarta, Berolini, 1871 (Accedit Caroli Lachmanni in Lucretii Cari de rerum natura libros commentarius quartum editus, Berolini, 1882). — T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex Recognovit Iacobus Bernaysius, Lipsiae, 1886. — Editio Bipontina, — cui adnexae sunt scripturae editionis Wakefieldianae a Bipontina discedentes.

Denique restat ut praeceptoribus meis, qui suis consiliis studia mea benevolentissime sublevarunt, maximas ex animo gratias agam.

De praepositionibus in universum agitur.

Ex adverbiis exstitisse praepositiones[1]), naturamque earum si quis penitus perspicere velit, rationem ei esse habendam praepositionum in compositione usus, quippe qui prior et antiquior vel potius is sit, cui soli ab initio praepositiones inservierint[2]), iam satis inter viros doctos constat.

Iam vero ad eas de quibus agimus praepositiones in universum tractandas adgredientibus de formis id tantum dicendum esse videtur, antiqua in lingua *ab* et *ex* saepe ante consonas deprehendi[3]), paulatim vero hunc usum debilitatum esse. — *Endo,* ex *en* — quae forma fortasse primigenia huius praepositionis fuit — eadem ratione ortum atque graecum *ἔνδον* ex *ἐν*[4]), quod

---

[1]) Cfr Schmalz in Muelleri Handbuch der klassischen Alterthumswissenschaft, München, 1890, II, p. 400; J. Thoms Commentationis de significatione praepositionum in verbis compositis linguae latinae pars prima, Greifswald, 1838, p. 4, F. C. U. Mueller, De praepositionibus latinis, Rostochiae, 1871, p. 6 sq.

[2]) Cfr Schwarz, De praepositionibus graecis et latinis, Regimonti, p. 1 et passim.

[3]) Cfr Schmalz in Muelleri Handbuch etc. II, p. 448. Meusel (p. 402 sqq) et Harder (p. 882 sqq) in Neue Jahrbüch. f. Philol. und Paedagog. 1885, Bd. 131.

[4]) Cfr ex. gr. Schwarz, de praepp. graec. et lat. pp. 5 sq. infra.

prisca in latinitate haud ita raro occurrit, primum in *indu*, deinde in *in* excultum est. —

Ad significationes transeuntes prima aetate linguae nudum casum atque verbum simplex ad motum vel ordinem rerum indicandum suffecisse videmus. Postea vero quam adolevit magisque exculta est lingua, notiones interioris et exterioris localitatis ne inter se confunderentur, praepositiones usurpari coeptae sunt, atque ita quidem, ut primum verbis praefigerentur, tum vero abundanti quadam ratione verbis praefixae ante casum iterarentur [1]). Itaque ex. gr. huiusmodi: *ore ire* quid sibi vellet cum ex forma locutionis non satis evaderet, *ex* praepositio verbo simplici adfixa est, quo orta est locutio: *ore exire.* Sed cum ne hac quidem ratione sublata esset obscuritas locutionis nudo casu expressae, ita conformata est oratio, ut praepositio ex coniunctione verbi ante casum transferretur, cuius condicionis est ex. gr. *ex ore ire,* quae quidem locutio tum in hanc quodammodo exaggeratam: *ex ore exire* abiit. Vestigium prisci usus in sermone Ciceronis exstat ex. gr. *animum induco.* Item prioris est originis graec. *κατ'λθομεν Οὐλύμποιο* quam *ἤλθομεν κατ' Οὐλύμπου* [2]).

Hic usus praepositiones cum verbis compositas ante casum iterandi iam vetustissimis temporibus nobis obvius fit, quippe qui a Plauto atque Terentio admodum frequentatus sit [3]). Ad eorum morem accessit Catullus, qui is quoque iteratas praepositiones adamavit. Tibullus vero et Propertius omnesque aetatis Au-

---

[1]) Cfr Schmalz in Muelleri Handbuch etc. II, p. 440.
[2]) Vid. Schwarz, de praepp. graec. et lat. p. 32.
[3]) Cfr Schmalz in Muelleri Handbuch etc. II, p. 440.

gusti poetae dativum iteratis praepositionibus praetulerunt [1]).

Verum ut increbruit magis magisque temporum decursu usus praepositionum, ita ex linguarum monumentis, quae servata habemus, usum generalis vel indefinitae, ut ita dicam, localitatis (h. e. cum non de interiore aut exteriore alicuius rei vel loci parte agitur, sed simpliciter locus describitur vel regio, ubi aliquid sit, aut unde, quo quid moveatur) proprie significandae iam pridem maximam partem e linguis adeo evanuisse videmus, ut maxime debilitatus quam angustissimis circumscriptus sit finibus. Huiusmodi locutiones exstant ex. gr. latinae: ruri, luci, Tiburi, Arpini, Romae pro Romai, domi, domo, domum, sursum, deorsum, pessum, aliae; graecae: *οἴκοθι*, *οὐρανόθι*, *οἴκοθεν*, *οὐρανόθεν*, *ὄπισθεν*, *οἴκαδε*, *χαμᾶζε*, aliae [2]). Longum est omnia quae huc pertinent exempla enumerare, quare haec attulisse sufficiat.

Iam vero ab initio quin ad motum vel ordinem rerum sensibus subiectarum indicandum destinatae fuerint praepositiones nemo certe dubitat; tum quam facile ad notiones temporis, mentisque actiones exprimendas transferatur loci significatio, quippe quae ex significationibus a primaria vel remotissimis si minus dilucide, attamen nonnihil eluceat, nemo non videt. Ita fit, ut iis quoque rebus, quas sermo urbanus iam translate expressit, rusticus vel cotidianus sermo fortasse

---

[1]) K. Schneemann, De verborum cum praepositionibus compositorum apud Catullum, Tibullum, Propertium structura. Cfr Jahresber. üb. Fortschr. d. klass. Alterth. p. 189, et Schmalz in Muelleri Handb. etc. II, p. 440.

[2]) Cfr Schwarz, De praepp. graec. et lat. pp. 30, 33, 34.

paulo durius, verum haud sine venustate quadam localem sensum tribuat. Huiusmodi usus — ex. gr. *ab* in causa vel instrumento exprimendo et *in* in tempore indicando positum[1]) — ex vulgari sermone hausti haud displicuerunt poetis, praecipuoque amore Lucretius eos amplexus est. Sed haec hactenus, iam ad res ipsas accedemus.

---

[1]) Cfr Schmalz in Muelleri Handb. etc. II, pp. 449 et 435, Anm. 2.

Index rerum:

Caput secundum.

Caput tertium.

Caput quartum.

Caput quintum.

A. Prima pars.

De formis praepositionum.

De formis praepositionum, quas nobis tractandas proposuimus, disputaturi non id agemus ut unde aut qua quaeque ratione orta aut quaenam primitiva forma habenda sit enodemus, sed usum tantum variarum formarum Lucretianum exponemus.

a) De formis „ab“ praepositionis.

In compositione *ab*-forma praeter vocales et *h*-litteram ante has usurpatur consonas: *d, l, n, r, s.*

A-forma ante *m* et *v* invenitur.

Abs ante *c*- et *t*-litteras reperitur.

Ante casum *ab* forma, praeterquam quod semper ante vocales et *h*-litteram usurpatur, ante *d*-litteram adhibita est.

A-forma ante *f, g, l, m, p, t, v* occurrit.

Ante *c*-litteram omnibus locis — excepto uno loco (II, 919) — omnium codicum consensu *a* forma legitur. Quare *ab coetu* quod illo loco habet Marullus, Lachmannum secutus in *at coetu* mutavi. Codices praebent *abeoretu*. Neque quod in Brixiensi editione propositum est: *ab eo coitu*, neque scriptura Venetae: *ab eo ortu* per metrum ferri potest.

Ante *r*-litteram *ab* usurpatur. Nam quod IV, 163 editio Bipont. *a rebus* habet, aperte falsum est, cum tredecim vel quattuordecim locis haud dubie *ab rebus* scri-

batur (I, 813, III, 820, IV, 43, 64, 65, 100 (ed. Bip.), 130, 144, 225, 347, 737, VI, 921, 923, 935, 960). Nulla est igitur causa, cur hoc uno loco *a rebus* Lucretium dixisse putemus. — Uno loco (I, 410) in editione Bipontina, nescio ex quibus codicibus, *abs re* editum est. Sed cum nusquam alibi apud Lucretium haec forma deprehendatur et *abs* ante *r*-litteram adhibitum nimis a solito discedat usu, cum Lachmanno *ab re* scribendum censeo, cum praesertim quadratus et schedae *ab re* praebeant. Praeterea duobus aliis locis (VI, 424 et 740) *ab re* dixit Lucretius.

Ante vocabula, quae ab *s*-littera incipiunt, et *ab* et *a* formas usurpavit Lucretius. Nam cum Lachmann eam legem statuere conatur, semper *ab* formam a Lucretio ante *s*-litteram usurpatam esse, nimis incauti iudicii id esse existimaverim, cum satis multis locis (II, 1135 *a se.* IV, 1222 *a stirpe.* VI, 925 *a sole.* v. 1047 *a saxo*) *a* forma tradatur. Atque est in ea ipsa re impugnandus Lachmann — vir ille quidem de Lucretio emendando atque legibus sermonis Lucretiani investigandis in universum optime meritus — impugnandus, inquam, Lachmann est, quod nonnumquam legem certam ibi statuere vult, ubi nulla vera lex reperiri possit [1]. Immo — id quod in sermonem Lucretianum in universum cadit — ea ipsa lex statuenda esse mihi videtur: fuisse Lucretium sermonis antiquissimi studiosissimum, neque tamen fieri potuisse, quin nonnumquam etiam locutiones a ceteris suae aetatis scriptoribus frequentatas reciperet (Cfr pp. 19 sqq.). Quae quidem natura Lucretiani sermonis inconstans cum ex aliis rebus [2], tum ex *ex* praepositionis ante *s*-litteram usu satis luculenter evadit. Namque et *ex* et *e* formas ante hanc litteram usurpavit Lucretius nullam, quantum video, legem secutus, neque vero solum in diversis verbis, ut ex. c. in *ex seminibus, ex sedibus,*

---

[1]) Cfr. Philol. XXVI, p. 294.

[2]) Vid. Stuedler, De sermone Lucretiano, Jenae 1869, p. 45 sq.

ex somno, e spatiis, e sapienti, e salso, aliis, sed etiam in uno eodemque verbo, ut ex. gr. *ex summo* (IV 86), *e summo* (V, 1125, III, 1001). Num igitur — ut iam ad eam, de qua proprie agitur, praepositionem redeamus — num, inquam, quicquam est quod offendamur inconstantia vel potius variatione elocutionis Lucretii *ab sole, a sole, ab se, a se* promiscue adhibentis? Minime. Immo hanc ipsam inconstantiam ab indole Lucretiani sermonis minime abhorrentem apud aequalem Lucretii Varronem deprehendimus, eum quoque has formas promiscue adhibentem [1]). Denique in II, 1135 codex quadratus *et a se* praebet, cum oblongus habet *aetas e*, quam oblongi scripturam ex *et a se* quam ex *et ab se* ortam esse verisimilius mihi videtur. Quae cum ita sint, locis supra allatis quae traduntur a codicibus non dubito retinere. In IV, 288 Lachmannum secutus ex oblongi codicis *av speculo* contra correctorem oblongi et quadratum, *a speculo* exhibentes, *ab speculo* edidi.

Sed antequam *ab* praepositionis tractandae finem facimus, de *au*-forma pauca addere libet.

Namque variae de hac forma inter viros doctos exstant sententiae. Ac vero Corssen et Stolz *au* eadem ex radice atque sanscritam praepositionem, quae est *ava*, exstitisse dicunt [2]), Kühner autem *au* ex *af* ortum esse [3]) dicit; in ea re consentiunt, quod *au* non formam *ab* praepositionis, sed aliam praepositionem, ab *ab* discernendam esse autumant. Sitne Corssenio et Stolzio an Kühnero assentiendum, in medio relinquo, totamque hanc quaestionem missam facio, cum res huiusmodi phoneticae, quae vocantur, non sint mei iudicii. Id tantum non possum non dicere, valde me dubitare, exstetne ver-

---

[1]) Roessner, De Ab, De, Ex praepositionum usu Varroniano, Halis Saxonum, 1888, p. 30.

[2]) Ueb. Aussprache, Vokalism. u. Beton. d. Lat. Spr. I, p. 157 sqq. et Krit. Beitr. p. 511 sqq. I. Muelleri Handb. etc. II, p. 293.

[3]) Ausführl. Gramm. d. lat. Spr. I, p. 617,5.

bum quodquam, quod in praesenti tempore et infinitivo ex alia compositum sit praepositione atque in perfecto et supino. Cuiusmodi tamen monstrum statuas necesse est, sive cum Corssenio sive cum Kühnero ortum explices *au*-formae in verbo *auferre*. Atque quod Corssen [1]) et qui eum secuti sunt Kühner [2]) Stolz [3]) Schmalz [4]) docuerunt *af* numquam nisi ante consonas deprehendi, est id quidem verum, quod ad ea exempla, quae protulerunt illi viri docti, attinet, sed cum praebeant codices apud Lucr. II, 99 *avictu* (*av* autem aliam esse formam pro *af*, satis constat), I, 1108 *aveant* (pro *abeant*) et in grammaticorum corpore p. 176, 4 *av agrorum* [5]) legem illam Corssenii, quam modo commemoravi, abiudicandam esse apparet.

b) De formis „ex" praepositionis.

In compositis verbis Lucretius *ex*-formam semper ponit ante *vocales* et *h*, *c*, *q*, *t*-litteras.

e-forma semper ante *d*, *g*, *l*, *m*, *n*, *r*, *v* invenitur.

Ante *p*-litteram semper — excepto uno composito *epotare* — *ex* forma usurpatur.

Ante *s*-litteram — excepto verbo *escendere* — semper *ex* adhibitum est. Huiusmodi in compositis *ex* facillime cum *s*-littera in unam vocem coalescit, quam ob rem in codicibus saepe *s*-littera omissa est. Compositum *exsistere* quam saepissime apud Lucretium occurrit, neque umquam nisi omissa *s*-littera *(existere)*. Item Varro [6]), qui etiam *extare* semper pro *exstare* scribit.

---

1) Ueber Aussprache etc. I, p. 157.
2) Ausf. Gramm. I, p. 618, e.
3) I. Mueller, Handbuch etc. II, p. 293.
4) I. Mueller, Handbuch etc. II, p. 448.
5) Vid. Lachmanni Comment. ad. h. l.
6) Vid. Roessner, p. 58.

Apud Lucretium *extare* et *exstare* promiscue adhibita sunt. Ante *f*-litteram forma primitiva *ex* praepositionis *(ec)* per assimilationem in *ef* mutatur.

Ante casum *ex* formam semper ante *vocales* et *h*-litteram poni vix est quod moneam.

E forma semper invenitur ante litteras *c*, *f*, *g*, *l*, *m*, *t*.

Ante *n*-litteram utraque forma invenitur, saepius tamen *e*: *e nilo* I, 150, 185, 669; *e nunc* III, 865; *e nubi* VI, 145; *e nubibus* VI, 201; *e nervis* I, 811. III, 697; *e nostro* II, 194 (Lachmann tamen *est nostro.*); *e nobis* IV, 1037; (ed. Bip. tamen *in nobis*. Codices praebent *nobis*).

Ex his deprehenditur locis: *ex non* II, 930, 932 *ex nulla* I, 667.

Ante *p*-litteram longe saepissime *e*-forma adhibita est. Exempla autem haec sunt.

e partibus II, 159, 485. III, 545. V, 615, 645; *e parvis* II, 385. VI, 330, 353; *e pectore* III, 908. IV, 908; *e portis* VI, 32; *e procero* III, 658; *e perplexis* II, 463; *e pauxillis* I, 835; *e principiis* IV, 534; *e primis* IV, 186.

Ex nisi ante vocabulum *pars* non deprehenditur: *ex parti* IV, 515. V, 721. VI, 694. I, 843, ubi tamen ed. Bip. *ulla parte idem in rebus* pro codicum *ulla iden parte in rebus* habet. Equidem facillima ex coniectura scribendum censeo *ulla idem parte in rebus*. Neque enim, ut iam Holtze docuit[1]), vera est sententia Lachmanni, Lucretium praepositionem nisi addito genetivo omittere negantis.

utraque ex parte IV, 830. ed. Bip. *a parte*. Codd. *utraque parte*.

Ex partibus I, 616. ed. Bip. 861. Hunc tamen proximum versum *(Et nervos alienigenis ex partibus esse)* Lachmann dicit Lambinum fecisse. Quod si ita est, cum Lachmanno statuere posse videmur *e partibus* Lucretium praecedente *s*-littera semper dixisse.

---

[1]) Syntaxis Lucretiane lineamenta, Lips. 1868, p. 9.

Namque omnibus reliquis locis, quibus *e partibus* legitur, praecedunt vocabula in *s*-litteram exeuntia: *aestivis* (V, 615), *alternis* (V, 645), *suis* (II, 159 et III, 545), *minimis* (II, 485).

Ante *q*-litteram semper — excepto uno loco (V, 20 *ex quo*) — *e* forma usurpata est: *e quibus* I, 235. II, 759. III, 1055. V, 237, 531; *e qua* I, 204; *eque* I, 37.

Ante vocabula, quae ab *r*-littera incipiunt, et *ex* et *e* inveniuntur. — Semper tamen *e regione* dixit Lucretius: IV, 374. VI, 344, 742, 823, 833. Saepius (I, 714, 763. V, 197. VI, 499) *ex rebus* dixit quam *e rebus* (IV, 27, 91).

Ante *s*-litteram utraque forma admodum usitata est. Saepius tamen *ex* occurrit. *Ex se* semper dicit Lucretius. Occurrit autem *ex se* locis hisce II, 968, 1156. III, 137, 704, 718. V, 319, 322, 1013. VI, 911. Eundem Varronis esse usum Roessner [1]) ostendit. — *ex seminibus* II, 988, 1070. IV, 648; *ex sensilibus* ed. Bip. II, 902. (Lachmann tamen *ea seminibus*); *ex somno* III, 163, 925. IV, 1022; *ex sedibus* V, 162; *ex solis radiis* VI, 273.

Ter (II, 248, 227, 241) Lucretius dixit *ex supero;* semel (VI, 512) *e supero* admisit. *Urget et e supero* enim correctorem oblongi secutus ex codicum *urgete* vel *urgite supero* coniciendum esse putavi. Quae quidem codicum scriptura quam facile ex eo, quod proposuimus, exsistere potuerit, nemo non videt. Lachmann ex coniectura Wakefieldi *urget de supero* edidit, ideoque *e supero* sprevit, quod ceteris locis Lucretius *ex supero* dixit. Quam tamen rem non magni aestimandam esse minimeque huiusmodi inconstantiam Lucretiani sermonis indoli alienam esse, iam iis quae supra exposui satis demonstrasse mihi videor.

Ex summo IV, 86; *e summo* V, 1125. III, 1001.

E his reperitur locis: *e salso* VI, 474; *e scibant* V, 949; *e suco* IV, 627; *e sucis* VI, 987; *e sumus* III, 839

[1]) De Ab, De, Ex praepp. usu Varron. p. 58.

e spatiis V, 566; *e simili* VI, 172. Sic cod. oblongus et Brixiensis ed. Editio Bip. quadrati *Et simili* recepit; *e stipatis* I, 664; *e sapienti* III, 761.

c) De formis „in“ praepositionis.

In vix praebet, de quo verba faciamus. Id tamen commemoratu dignum videtur, antiquiorem formam *indu*, quae in XII legg., apud Ennium Catonem Lucilium deprehenditur, nonnullis locis apud Lucretium et in compositione et ante casum deprehendi. Loci autem hi sunt:

a) in verbis compositis: *indugredi* I, 82. IV, 342, 367; *indupedire* I, 240. II, 102, 459. IV, 70. V, 876. VI, 453, 1010; *induperator* IV, 967. V, 1227.

b) ante casum: VI, 890 *endo marist* Aradi fons. II, 1096 *indu manu*. V, 102 *indu manus.*

Qua in voce eligenda nihil causae a metrica ratione petitum esse, (quemadmodum putant quidam viri docti [1]), sed antiquitatis studio [2]) poetam hanc formam usurpasse putaverim. Licet enim sit concedendum omnibus locis, quibus *indu* deprehenditur, fieri potuisse ut metrica valeret ratio, ea tamen res, quod Lucretius — id quod iam commemoravimus — omnino antiquissimi sermonis studiosissimus fuit, verisimillimam eam facit sententiam, nihil his locis metricae rationi tribuendum esse, sed consulto poetam ita enuntiationes suas finxisse formasseque, ut antiquius illud *indu* pro solito *in* in versu locum haberet. Hoc studium Lucretii colorem antiquum sermoni suo tribuendi luculentissime evadit ex VI, 890 ubi antiquissima huius praepositionis forma *endo* adhibita est. Nam si id tantum

---

[1]) G. Kuehn, Quaestiones Lucretianae gramm. et metr. Vratislaviae, 1869, p. 22. Staedler, De sermone Lucretiano, p. 10—11.

[2]) Eiusdem sententiae video Hermannum Pulligium quoque esse (Ennio quid debuerit Lucretius, Halis Saxonum, 1880), p. 43.

egisset Lucretius, ut metricae rei satisfaceret, nihil opus fuisset forma *endo*, suffecisset *indu*.

Indu formam etiam in composito quod est *indipisci* *(indu-apisci)* latere putaverim[1]) contra Schwarzium[2]) *d*-litteram εὐφωνίας gratia *(in-d-apisci)* inculcatam esse dicentem.

De *de* et *ad* praepositionibus nihil dicendum est.

Haec habeo quae de ratione, qua varias formas praepositionum usurpaverit Lucretius, dicam. Quae si paucis comprehendimus, haec fere sunt: ars et ratio Lucretii singulas formas adhibendi etsi non multum recedit ab ea, quae est communis vel potius classicorum, in universum tamen aliquam certe speciem praebet antiquitatis. Namque admodum saepe Lucretius formas *ab* et *ex* ante consonas adhibuit. Qui quidem usus cum ab aliis quoque scriptoribus sit frequentatus, paulo durior tamen est, quia Lucretii temporibus iam adeo mollita erat lingua latina, ut scriptores eius aetatis ab hoc usu iam magis magisque abstinerent[3]). Itaque Lucretius semper *ex somno*, Plautus *ex somno* et *e somno*, Cicero semper *e somno* dixit.[4])

Porro studium Lucretii veterum more loquendi ex eo quoque elucet, quod formas illas priscae latinitatis *indu, endo* nonnullis locis admisit.

---

[1]) Cfr Julius Brix ad Plaut. Trin. 224.

[2]) Vid. Schwarz, De praepp. graecis et latinis, Regimonti, 1859, p. 8, infra.

[3]) Cfr Schmalz in Muelleri Handbuch d. klass. Alterthumswiss. 2, p. 448.

[4]) Cfr Julius Brix ad Plaut. Mil. glor. 689.

B. Altera pars.

De significationibus praepositionum.

Caput I.

Ab.

Amotionem alicunde hac voce proprie definiri, inter omnes satis constat. Discrimen vero, quod inter *ab* et *ex* intercedit, his verbis expressum est a Schwarzio[1]): „*ab* et *ex* ita differunt proprie, ut *ex* progressionem de loco interiore, *ab* progressionem de finibus loci significet". Quae quidem distinctio simplicissima nec tamen, ut mea quidem fert opinio, non accuratissima est. *Ab* praepositioni contraria est *ad*, non, ut ait Hand[2]), *in*. Hac quidem ex motus significatione facillime significatio deducitur *ab* praepositionis statum i. e. procul stare, distare aliquid ab aliqua re indicantis. Nam cogitando certe spatium ab altera re ad alteram percurritur. —

Exempla iam iam in medium prolaturo id praemittendum mihi videtur eam me in materia digerenda secuturum esse rationem, ut primum ponam quae de usu ac structura verborum cum *ab* compositorum adferenda esse videantur, deinde de *ab* praepositionis a ceteris verbis et compositis et simplicibus pendentis ante casum usu disseram.

---

1) Vid. Hand, Tursell. I, p. 12.

2) Tursell. I, p. 9.

I. „Ab“ de loco usurpatum.

1. Verba cum „ab“ composita.

Primum igitur in medium procedant exempla, in quibus

a) verba cum *ab* composita absolute posita sunt: *α)* De motu *auferre* V, 459, 725. III, 230; *apsilire* VI, 1217; *abire* IV, 949. I, 457, 677, 680. II, 73, 962. IV, 1181; *amovere* I, 225; *avertere* II, 363. VI, 390. I, 1041; *amittere* I, 327. VI, 302. III, 649. II, 358. I, 659, 1078. II, 959. III, 716, 768; *avellere* IV, 138. V, 315. VI, 241; *abscindere* III, 642; *aperire* IV, 272, 314. V, 778, 812. VI, 817, 1050. II, 182. IV, 467. I, 915. IV, 54, 596, 811. V, 1062. I, 297; *abnuere* III, 641; *absterrere* V, 846; *abundare* I, 282. VI, 267. V, 265. VI, 669. V, 262, 817, 920. II, 1089; *absumere* IV, 1121: *aborisci, aboriri* V, 733. III, 155; *abdere* IV, 945. V, 1233. VI, 809, 844, 1037.

Abdita retro est IV, 607. Cum *sub* adhibitum est *abdere* IV, 419 *sub terras abdita* caeli nubila. I, 904: *silvis abscondita.* — *Abstrahere* cum *inter* III, 650 (nec tenet amissam cum tegmine saepe) *inter* equos *abstraxe* rotas. — *Abire* addito *in* cum accusativo: IV, 1111 (nil inde abradere possunt) nec penetrare et *abire in corpus* corpore toto. III, 1066 aut *abit in somnum* gravis atque oblivia quaerit. VI, 563 inclinata *abeunt* [1]) *in eandem* prodita *partem.*

β) De statu: *abesse* IV, 251, 255. V, 589. II, 18. III, 1018, 957, 1082; *avius* I, 926. II, 145, 346. IV, 1. V, 397, 1386. II, 82, 229, 740. III, 463; *amens* VI, 86; *absonus* IV, 517; *abuti* II, 656. V, 1033.

Cum dativo posita verba seorsum commemoro: IV, 1233 sq. Nec divina satum genitalem numina *cuiquam absterrent.* Cfr. IV, 1064, 378. V, 205.

---

[1]) Sic Bernaysium secutus edidi, Lachmann *inclinata meant* vult.

b) Adamasse tamen videtur Lucretius nudum ablativum ad motum alicunde exprimendum (quemadmodum postea, ceteris praepositionibus tractatis, videbimus. Hic nonnulla exempla, quae alibi non occurrunt, adferam: VI, 1203 corruptus sanguis expletis naribus ibat. Simili ratione: III, 497, 1033. V, 29, 812, 907. VI, 231, 247, 392, 470, 1154). Nudus ablativus a verbis cum *ab* compositis pendens locis deprehenditur hisce.

α) De motu: II, 214 nunc hinc nunc illinc *abrupti nubibus* ignes concursant. IV, 1273 (eicit enim sulcum recta regione viaque vomeris, atque *locis avertit* seminis ictum. 1103 nec manibus quicquam *teneris abradere membris.* VI, 622 proinde licet quamvis ex uno quoque loco sol umoris parvam delibet ab aequore partem, largiter in tanto spatio tamen *auferet undis* (sol). II, 257 unde est haec, inquam, *fatis avulsa* potestas. 654 caput *abscisum calido viventeque trunco.*

β) De statu: IV, 408 vix *absunt nobis* missus bis mille sagittae. —

Sitne his omnibus locis consulto nudus ablativus usurpatus, an sit metricis rebus aliquid tribuendum, licet pro certo adfirmari nequeat, tamen ex II, 214, 1103. III, 654 videre licet usum nudi ablativi ad motum alicunde exprimendum Lucretio haud displicuisse, idque ipsum genus loquendi proprie esse Lucretianum, usu *ex* praepositionis pertractato exemplorum copia vel maxima docebimur.

Hoc loco adfero I, 613 *unde* neque *avelli* quicquam neque deminui iam concedit natura. Cfr. IV, 1110.

c) Iam vero sequitur ut adferamus exempla, in quibus *ab* praepositio verbo praefixa ante casum iterata est. Sunt autem haec: *α)* De motu V, 313 non ruere *avolsos* silices *a montibus* altis. III, 645 *ab artubus* id quod decidit *abscisum.* I, 945 volgus *abhorret ab hac.* IV, 20. — *β)* De statu: IV, 244 quantum quaeque *ab nobis* res *absit.*

Hoc loco adfero III, 954 *aufer abhinc* lacrimas. Nam *abhinc* haud est indignum, de quo fusius exponamus. Adverbia *abhinc, dehinc, abinde, deinde, exinde* usitatissima sunt; in iis componendis tamen ubertatem loquendi valuisse quis est quin videat? Nam cum iam suffixo addito notio motus alicunde plena esset, pleonastica quadam ratione praepositiones illae adiectae sunt [1]. Est autem hoc sermonis vulgaris, ut notiones ab hominibus exculti ingenii summa cum subtilitate expressas perspicuitatis causa fusius explicet, quo facilius res describenda ad ingenia hominum rudium accommodetur [2]. Quod in Lucretii quoque sermonem cadere concedat necesse est quisquis eius orationem saepe largissimis undis fluentem atque adeo superfluentem cognovit [3]. Quare hoc vocabulum *abhinc* maxime naturae Lucretiani sermonis convenit. Praeterea ob eam quoque rem *abhinc* hoc loco valde memorabile est, quod eam habet vim, ut non de tempore praeterito (quam vim — exceptis Pacuv. trag. 21, Apul. flor. 16, scriptoribus postremae latinitatis — semper habet) [4], sed de futuro tempore cogitari liceat.

Iam vero quaeritur sitne temporis an loci notio *abhinc* adverbio tribuenda? Equidem assentior Ploenio contra Lachmannum loci significatione hoc accipienti, cum temporis notio a ceteris eiusdem enuntiationis verbis abhorreat [5]. Comparandi causa Hand [6] adfert Plaut. Pers. 5, 2, 19 iurgium *hinc auferas.* Huic adicio hoc exemplum Plautinum: Men. 607 *Aufer hinc* palpationes. Praeterea cognatio quaedam abundantiae, qualem

[1] Cfr. Carl Hamp, Archiv für lat. Lexicogr. u. Gramm. 5 p. 327.

[2] l. c. pp. 322 et 326.

[3] Cfr. Aem. Kraetsch, De abundanti dicendi genere Lucretiano, Berolini, 1881, pp. 1 sqq. et passim.

[4] Cfr. Heinr. Ploen, Archiv f. lat. Lex. u. Gramm. 4, p. 113, 114.

[5] l. c. p. 113.

[6] Tursell. p. 66.

praebet *aufer abhinc*, locutionibus inesse videtur maxime Lucretianis: *retroque remanat* (ex. gr. V, 269) *retroque recellit* (ex. c. VI, 573), *retroque — remensumst*, (ex. c. II, 516). Quam ob rem fieri non potest, quin locutio quae est *aufer abhinc* Lucretium sapiat.

Huic quaestioni adnecto verba cum *ab* composita, quibus aliae praepositiones adiunguntur.

Verba cum *ab* composita *de* praepositionem cum casu coniunctam sibi adsciscunt: IV, 875 anhela sitis *de corpore* nostro *abluitur*. 541 multa loquens quoniam *amittit de corpore* partem. 145 summum quicquid *de rebus abundat*.

Ex praepositionem: VI, 825 *membris ex* omnibus *aufert*. III, 439 *ex* hominis *membris ablata* recessit. III, 717 Sin ita sincera (cfr. v. 532) *e membris ablata* profugit. Sic cum C. Vinckelmanno[1]) edidi. Recte nescio quis monuit non de sinceris membris (ut vult Lachmann) hic agi, sed de anima, quae etiam ablata sincera maneat. IV, 91 diffusae *e rebus abundant*. Lachmann Keller[2]) Staedler eosque secutus Bernays aliique recentiores editores *diffusae* in *diffusa e* mutaverunt. Equidem ex coniectura Lambini *e* post *diffusae* ponentis *diffusae e rebus abundant* edidi, cum praesertim melius *diffusae* quam *diffusa* praecedenti *rebus* respondeat. Quod in versu, qui paulo post (v. 94) sequitur, codices praebent et *coorta* et *coorte* (codex oblongus autem et Itali *coorta* habent, codex quadratus *coorte*) utraque scriptura per neglegentiam librariorum ex *coortae* exstitisse putanda est.

2. „Ab" ante casum adhibitum ex aliis verbis pendet.

Excussis iam omnibus, ni fallor, exemplis, qui sit verborum cum *ab* compositorum apud Lucretium usus ac structura, cum, quantum in nobis fuit, satis enucleasse

[1]) Vid. Beitr. zur Krit. des Lucretius p. 20.

[2]) Vid. De verborum cum praepp. compos. apud Lucr. usu, Halis Saxonum, 1880, p. 10.

videamur, sequitur iam ex proposito nostro ut eos locos, quibus *ab* ante casum positum una cum reliquis verbis compositis et simplicibus occurrit, in medium proferamus.

a) De motu: VI, 1054 *respuit* (scil. lapis Magnes) *ab se* atque per aes agitat (scil. ferrum). Cfr. VI, 1042. II, 729. IV, 685, 347. V, 641. I, 785, 410. V, 406. I, 880. II, 645. VI, 767, 853. IV, 1243. III, 882. V, 707 quantum solis *secedit ab orbi* (luna). II, 648. V, 446. III, 625, 552. II, 912. I, 51, 463, 430 sq. II, 861. IV, 468. III, 66. I, 463. I, 102 Tutemet *a nobis* — *desciscere* quaeres. III, 860. I, 711. VI, 1047 (lapis — Magnes —) usque adeo *fugere ab saxo* gestire videtur. II, 1111. V, 491. VI, 1104. I, 788. II, 138. VI, 1191. II, 515. V, 107. I, 637. II, 176. III, 676. V, 23; VI, 1024 simul *a fronte* est anelli *rarior* aër *factus*.

V, 754 (luna) *a terris* altum caput obstruere ei (scil. soli). Lunae inter terram et solem positae altum caput cum *a terris* soli obstrui, obici dicitur, ea ipsa re a terra ad solem quasi moveri cogitatur.

Una cum verbis defendendi usurpatum est *ab:* I, 850 neque *ab exitio* res ulla *refrenat.* VI, 569; III, 820 *letalibus ab rebus munita* tenetur (scil. anima).

Ab aliquid alicunde initium capere indicat: II, 269 ut videas *initum motus a corde creari.* I, 782 quin etiam *repetunt a caelo atque ignibus* eius. Huc refero locutiones *ab radicibus, usque ab radicibus, ab imo.* I, 352 quod cibus in totas *usque ab radicibus imis* per truncos ac per ramos *diffunditur omnis.* VI, 141 arbusta evolvens *radicibus* haurit *ab imis.* V, 163 *ab imo* evertere summa.

V, 1322 (*ab nervis succisa* videres concidere), *ab* indicat qua parte quid a subiecto patiatur obiectum.

VI, 721 ille ex aestifera parti venit amnis *ab austro*. 723, 720, 1111. I, 64 quae (scil. religio) caput *a caeli regionibus* ostendebat. III, 271 (mobilis illa) vis, initum motus *ab se* quae *dividit* ollis. IV, 468, 1222. VI, 81. III, 996 *petere a populo* fasces. V, 1040. I, 739 Pythia quae *tripodi a* Phoebi *lauroque profatur.* V, 112. I, 693

contra sensus *ab sensibus* ipse *repugnat.* I, 1088 et calidos simul *a medio* differrier ignis. I, 1091; I, 1093 *a terris* paulatim cuique cibatum . . . . I, 1048 ut possint *a coetu* libera *ferri.* V, 350 quos *a vita* natura *removit.* IV, 43 (dico igitur rerum effigias tenuisque figuras) *mittier ab rebus.* 64. II, 1135. I, 662. II, 856. V, 313. IV, 163. VI, 935. IV, 225. VI, 924 sq. IV, 218 sq. 144. VI, 921. III, 197. IV, 130, 737, 65; V,685 quod *ab alterutra detraxit parte*, reponit eius in adversa tanto plus parte relatus. VI, 621 sol umoris parvam *delibet ab aequore* partem. IV, 564 (verbum saepe unum perciet auris omnibus in populo), *missum praeconis ab ore.* Quod vero ad V, 222 (saevis *proiectus ab undis* navita) attinet, ita Holtze [1]) haec verba accepisse videtur, ut idem significarent quod *proiecerunt undae navitam.* Nihil tamen obstat, quominus de loco hic *ab* praepositionem accipiamus, cum praesertim paulo post legatur: „(puer —) *ex alvo matris natura profudit*". Opponuntur igitur manifesto *puer* et *navita, profudit* et *proiectus*, *ex alvo* et *ab undis.*

Sequuntur loci duo I, 719 (quam fluitans circum magnis anfractibus aequor) Ionium *glaucis aspargit virus ab undis* et II, 51 (audacterque inter reges rerumque potentis) versantur, *neque fulgorem* reverentur *ab auro* nec clarum vestis splendorem purpureai, de quibus locis Holtze [2]) „utrobique", inquit, „praep. ab cum abl. prope distat a significatione genetivi". Quae quidem explicatio ut nihil habet offensionis, ita fieri non potest ut assentiamur Staedlero [3]) *ab* praepositione Lucretium genetivum expressisse putanti. Neque enim quicquam prohibere mihi videtur, quin de loco has locutiones accipiamus. Ac prioris quidem exempli verba *ab undis virus aspargit* tam manifestum localem sensum praebent, ut de hoc loco pluribus agere supersedeam [4]). Posteriore

[1]) vid. Syntaxis Lucretianae lineamenta, Lipsiae, 1868, p. 55 c.
[2]) Syntax. Lucr. lin. p. 53, supra.
[3]) De sermone Lucretiano, p. 47.
[4]) Item h. l. accep. I. Siebelis, Quaestt. Lucret. Lips. 1844, p. 23.

vero loco ellipticam quandam rationem valuisse putaverim, ita ut ad *fulgorem ab auro* ex. gr. *proficiscentem* vel *profectum* vel aliud aliquid eiusmodi subaudiendum sit. Sunt autem locutiones breviatae haud alienae a sermone Lucretii, quippe qui cum aliter[1]) tum de loco VI, 148 ellipsi *ferrum e fornacibus* (scil. extractum) *stridit* usus est.

Notissima illa locutio *a tergo* deprehenditur VI, 1026 aër *a tergo* quasi provehat atque propellat. IV, 195. V, 1320. *Ab* his locis motum exprimit cogitationis a tergo ad rem, quae alicunde veniens in tergum impetum facit.

Pro *ex* sine dubio metri causa adhibitum est *ab* in III, 57 nam verae voces tum demum *pectore ab imo eiciuntur.* VI, 687 hic ubi percaluit cale fecitque omnia circum saxa furens, qua contingit, terramque, et *ab ollis excussit* calidum flammis velocibus ignem.

b) De statu: II, 312 omnis enim *longe nostris ab sensibus* infra primorum natura iacet. V, 149. IV, 417. V, 630, 133. III, 789. IV, 244. I, 758. II, 82. V, 122.

II. „Ab" de tempore adhibitum.

Significatio localis motus alicuius rei initium alicunde capientis facile ad tempus transfertur. Quam significationem facere non possum ut in duo genera digeram (quod fecerunt quidam viri docti[2]) prout aut designetur ipsum temporis initium, a quo quid esse aut fieri incipiat, aut totum spatium una comprehensione complectaris. Negaverim enim hanc significationem usquam notione *ab* praepositionis contineri, sed significationem continuitatis ex verbo demum aut ex toto sensu enuntiationis evadere dixerim.

I, 554: nil ex illis *a certo tempore* posset conceptum summa aetatis pervadere finis.

---

[1]) Vid. pp. 17 sq. et 22 sqq.

[2]) Cfr. Hand, Turs. I, p. 20 et 21 et Roessner, p. 17 § 12, p. 18 § 13.

III, 331 inplexis ita principiis *ab origine prima*. Cfr V, 678, 548.

I, 769 alternis gignuntur enim mutantque colorem et totam inter se naturam *tempore ab omni*.

„Fert etiam sermo maxime cotidianus vel rusticus, ut temporis initium rebus apparentibus vel actis denominetur“ [1]): IV, 538 aurorae perductus *ab exoriente nitore* (sermo). — V, 977 *a parvis*.

III. „Ab“ in origine indicanda positum

non multum differt ab *ab* de loco positum. — Una cum verbis *creandi, oriendi:* IV, 478 invenies primis *ab sensibus esse creatam* notitiem veri. IV, 483 sq. an *ab sensu falso* ratio *orta* valebit dicere eos contra, quae tota *ab sensibus orta* est? Cfr IV, 521. —

Sequuntur tres loci, quibus quae de usu Lucretii elliptice loquendi verba feci [2]) illustrantur. Nam quod Lucretius dixit I, 935 id quoque non *ab nulla ratione* videtur, cui loco consimilis est IV, 10, id quidem cum Holtzio [3]) ita accipio, ut verbum *profectum* vel aliud idem valens cogitatione addendum esse putem [4]). Simili condicione esse putaverim V, 604 est etiam quoque uti *non magno solis ab igni* aëra percipiat calidis fervoribus *ardor*. Quae mea sententia iis confirmatur verbis quae in hac eadem enuntiatione sunt (608 sq): quod genus inter dum segetes stipulamque videmus accidere ex una scintilla incendia passim, quibus ex verbis videre licet *ex* praepositionem eadem ratione elliptice (cfr *non magno solis ab igni* — *ardor* et *ex una*

---

[1]) Cfr Roessner, p. 18, c).

[2]) vid. ad p. 16.

[3]) Synt. Lucr. lin. p. 53, med. f. pag.

[4]) Contra Hand, Turs. I, p. 35 et Staedler, de serm. Lucr. p. 47 sine iusta causa *ab nulla ratione* notionem genetivi (*nullius rationis*) exprimere putant.

scintilla incendia) in origine exprimenda usurpatam esse. Nam *stipulam accidere ex una scintilla incendia* nihil est aliud nisi *incendia ex una scintilla* (scil. orta) *accidere* (i. e. accendere) *stipulam* [1]) —

Medium quasi locum inter originis et causalem vim tenent: I, 459 *rebus ab ipsis consequitur* sensus. IV, 551 asperitas autem vocis *fit ab asperitate* principiorum. —

Exemplis supra (pp. 16 sqq.) ad usum Lucretii elliptice loquendi illustrandum prolatis hoc loco adiciendum est II, 132 hic *a principiis est* omnibus error. Namque hoc *esse ab*, apud scriptores latinos Roessnero teste [2]) raro occurrens, nihil aliud est nisi breviata locutio pro plena, quae est *ortum esse ab.* Quod vero Staedler [3]) verbis *a principiis est omnibus error* praedicari huiusmodi: *principia omnia errant* et *a principiis* idem valere ac *principiorum* putat, rem non ita se habere concedat necesse erit, quisquis contextum rerum persenserit. Nam cum Lucretius sententiae: *corpora quae in solis radiis moventur commutare viam nunc huc nunc illuc* (vv. 126—131) explicationem adicit *scilicet, hic a principiis est omnibus error,* notionem genetivi si circumscriberet *a principiis*, sententia exsisteret haec: *corpora* huc illuc *vagari* in solis radiis (i. e. *corporum* in sole *motum*) *principiorum* esse *errorem* idemque *principia* essent atque *corpora in sole vagantia.* Ita tamen rem se non habere ex iis quae sequuntur (attente perlegas velim versus inde a v. 133 usque ad v. 141) evadit, ubi Lucretius dicit: prima moveri primordia (= principia), eorum ictibus impulsas alias res, itaque fieri ut *a principiis ascendat motus* paulatim ad nostros sensus ut moveantur *illa quoque, quae in sole* cernamus. Quibus igi-

---

[1]) Cfr. Lachmann. Comm. ad h. l.

[2]) De Ab, De, Ex praepp. usu Varron. p. 20, c).

[3]) De serm. Lucr. p. 47.

tur ex verbis cum appareat non idem esse *principia* atque *corpora in sole vagantia*, non potest *ab ignibus* pro *ignium* accipi.

IV. „Ab“ de causa adhibitum.

Lucretium quamquam in universum studiosissimum antiqui sermonis fuisse atque adeo „anxie priscorum poetarum vestigia pressisse“ [1]) constat, nonnullis tamen locis iis neglectis ad usum aequalium suorum accessit. Atque id quidem imprimis in rationem causae exprimendae cadit. Nam teste Draegero [2]) scriptores prisci *ab* cum abl. eo sensu positum non admittunt. Contra Lucretius et Varro — et, quamvis raro, Cicero — [3]), eosque secuti poetae aevi Augusti hunc usum paulo duriorem frequentaverunt. — Iam vero quaerendum, quaenam fuerit causa, cur a more suo vestigia priscorum poetarum premendi recederet Lucretius. Numquid metricis rebus tribuendum? Num ex usu quodam vulgari sic locutus est poeta? An alia hic valuit ratio? Sed haec quaestio cum dirimi nequeat nisi pertractatis locis singulis, exempla iam proferam.

Ac tribus quidem locis non tam causalis quam localis vis (unde, a qua parte) premitur. [4]) Neque enim *restingui* quoque posse *ab eodem corpore flammam* (IV, 1087) cum dicit Lucretius, ita hoc accipi vult, ut *ab corpore* agens sit, sed localem sensum premi inde evadere mihi videtur, quod huic *ab corpore* in versu praecedenti oppositum est *unde*. — Eius sunt condicionis: IV, 1234 (Nec divina satum genitalem numina cuiquam) absterrent, *pater a gnatis* ne dulcibus umquam

---

[1]) E. Duderstadt, De particul. us. ap. Catull; cfr. Jahresber. üb. Fortschr. d. klass. Alterthumswiss. p. 188.

[2]) Hist. Synt. I, p. 594.

[3]) Roessner, p. 24, infra.

[4]) Roessner, p. 23, b.

appelletur. IV, 934 tundier atque *ab·ibus* crebro *pulsarier ictu.* —

Uno loco Lucretiano (IV, 591: loca *deserta ab divis)* *ab* haud inusitate cum nomine hominem significante coniunctum est (agens). —

Iam vero eorum exemplorum agmen producam, in quibus *ab* „ex verbis passivis vel intransitivis loco passivorum positis pendens rerum nominibus pro solo ablativo additum est“.[1])

Ac primum quidem I, 813 *(adiutamur* enim dubio procul *atque alimur* nos) *certis ab rebus* cum dicit poeta, consulto eum *ab* praepositione uti putaverim, ut res persona induatur et aliquid agere dicatur, instar hominis arbitrio agentis. Dubito enim fueritne Lucretius verbum quale est *adiutamur* usurpaturus (neque alibi usquam apud Lucretium hoc verbum una cum illo altero *alere* occurrit, sed semper *augere, auctare;* cfr. I, 859. V, 322. VI, 946. I, 56, 229. V, 220), nisi *certis ab rebus* per prosopopoeiam pro personis accipi voluisset. — Item explicanda esse censeo: V, 306 *lapides* quoque *vinci* cernis *ab aevo.* III, 429 (iam longe mobilitate) praestat et *a tenui causa* magis icta *movetur* (scil. anima). VI, 1079 aerique aes *plumbo* fit uti *iungatur ab albo.* VI, 105 nam cadere *ab bruto* deberent *pondere pressae* (nubes). II, 99 pars etiam brevibus spatiis *vexantur ab ictu.* V, 358 quod manet intactum *neque ab ictu fungitur hilum.* III, 323 haec igitur natura *tenetur corpore ab omni.* Cfr III, 567. —

Quod vero ad V, 300 (usque adeo properanter *ab omnibus ignibus* ei exitium celeri *celatur* origine) attinet, est id quoque huc referendum. Staedler *ab ignibus* pro *ignium* et *ei* pro *a luce* non recte acceptis obscuriorem verborum constructionem hic statuendam esse censet. Nulla tamen hic locum habet obscuritas, si hoc a Lucretio dictum reputamus: lux non interrumpitur: usque adeo properanter omnes ignes ce-

---

[1]) Cfr Roessner, pp. 23 sqq. ac praeterea Hand, I, p. 27.

leri origine flammae luci exitium celant i. e. lucem prohibent quominus interrumpatur[1]) (vv. 299 – 301).

Sed quamquam nondum iis, quae adhuc attuli, exemplis quicquam causae protulisse mihi videor, cur *ab* cum ablativo pro solo ablativo admiserit Lucretius, ex exemplis, ad quae tractanda iam iam sumus aggressuri, spero fore ut evadat consulto Lucretium hoc loquendi genus recepisse.

Etenim VI, 709 („nam neque eum ferro nec frigore vincere possis) *interiisse* neque *a morbo* neque forte veneno" si quis ea offendetur re, quod *a morbo* scripsit Lucretius, cum tamen eadem in enuntiatione nudum ablativum usurpaverit, eaque re nitens metricam rationem hic valuisse contendet, satis habebo ei respondere alios quoque scriptores atque adeo aequales Lucretii nonnumquam certe in una eademque enuntiatione causam modo nudo ablativo modo *ab* praepositione cum ablativo constructa expressisse (Cfr *Cicero*, de off. I, 20, 68 qui *metu* non frangatur, eum frangi *cupiditate*, qui invictum se *a labore* praestiterit, vinci *a voluptate*; *Varro*, r. r. I, 59, 2 quod spectaculum datur *ab arte*, cur non quod *natura* datum cett.) Accedit quod *a morbo perire* etiam Cornelium Nepotem dixisse[2]) nemo nescit. Quae cum ita sint, metricam rationem hic valuisse negaverim, Lucretiumque consulto atque adeo elocutionis variandae causa praepositione usum esse puto. — Plane eadem est condicione VI, 874 sq praeterea *solis radiis iactatur* aquai umor et in lucem tremulo *rarescit ab aestu*, quocum conferas velim Ciceronianum illud *calescit ab eo spiritu* (De nat. deor. 2, 55, 138). —

Ne in III, 522 quidem (animus — *flectitur a medi-*

---

[1]) De serm. Lucr. p. 47.

[1]) Cfr Lachmann. Comm. ad h. l.

[2]) De reg. 3, 3.

cina) a metri supplendi causa adhibitum esse concesserim, quamvis paulo ante (v. 511) nudum ablativum eiusdem verbi *(flecti medicina)* usurpatum sit, sed hoc quoque loco variandi studio inservisse poetam crediderim, cum praesertim alios quoque scriptores (Ciceronem, Varronem) similia variasse constet (Cfr Cic. de off. I, 29, 103; ac. post. I, 4, 15; de nat. d. II, 52, 133; de inv. I, 24, 35, quibus locis „*ab (a) natura* datum" dixit Cicero, cum „*natura* datum" dixerit de inv. I, 25, 36. Apud Varronem deprehenditur *ab natura* r. r. II, 4, 10. l. l. X, 61; contra *natura* r. r. I, 59, 2. [1]). —

Quodsi quis nulla ratione habita exemplorum, quae ex scriptis aliorum auctorum ad usum Lucretianum illustrandum exprompsi, iam iis quae exposui *ab* sic usurpatum indoli Lucretiani sermonis vindicari posse neget, ex exemplisque Lucretianis modo tractatis contendere velit, metri necessitate coactum *ab* praepositionem usurpasse poetam, quippe qui ne potuerit quidem praepositionem omittere, ex VI, 1266 (corpora silanos ad aquarum strata iacebant *interclusa* anima *nimia ab dulcedine* aquarum) luculentissime evadit haud displicuisse hoc dicendi genus Lucretio. Neque enim ulla metrica res impedimento fuit, quominus *nimia dulcedine* pro insolentiore *nimia ab dulcedine* diceret. [2]) —

Iam vero quae proferam exempla, evidentissime iis usus ille Lucretii, quem supra [3]) commemoravi, elliptice loquendi illustratur. Nam cum dicit Lucretius VI, 968 sq. umor aquae porro ferrum *condurat ab igni*, at coria et carnem *mollit durata calore*, *mollitum* [4]) vel aliud eiusmodi

---

[1]) Roessner, p. 24, β).

[2]) Causalem vim haberent IV, 17 *tali a tactu* et II, 919 *ab coetu*, nisi cum Lachmanno edendum esset! *tali pacto* et *at coeto*. Vid. ad p. 1 et Lachm. comm. ad hos locos.

[3]) Vid. ad. pp. 16 sqq.

[4]) Cfr Staedler. p. 47 et ed. Bipont. ind. ubi tamen minus accurate *calefactum* propositum est.

locutioni *ab igni* sententiae supplendae causa cogitatione adiciendum esse ex verbis, quae opponuntur, evadit. Opponuntur autem *ferrum* et *carnem*, *condurat* et *mollit*, *ab igni* (subaudi *mollitum*) et *calore durata*. Cum hoc conferri licet Varronis l. l. VI, 20 „Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo et in circo ad aram eius *ab sacerdotibus ludi illi*, quibus virgines Sabinae raptae", ubi verbi omissionem Varroniani sermonis neglegentia et brevitate satis excusari *Roessner*[1]) dicit. Quod cum ita sit, dubito an uterque scriptor locutiones has ellipticas uno eodemque ex fonte usus cuiusdam cotidiani hauserit, sicut etiam in abundantia quadam[2]) ex usu vulgari haud dubie deducenda concinunt. Lucretianus tamen locus paulo durior Varroniano eo est, quod non solum ellipticam praebet locutionem, sed etiam *ab* praepositionem nomini rei additam exhibet; in Varroniano illo exemplo *ab* cum nomine personae coniunctum nihil inusitati praebet. Lucretius autem quin hoc quoque loco variationem loquendi, de qua supra[3]) disseruimus, sectatus sit (cfr *ab igni — calore)*, vix dubitari potest. Huic loco simillimus est locus V, 1106 vitamque priorem commutare novis monstrabant rebus *ab igni*[4]). — Neque vero iis tantum, quae adhuc tractavimus, exemplis usus ille ellipseos, quem iam saepius commemoravi, Lucretianus illustratur, sed exemplo maxime mirabili valde confirmatur hoc IV, 1168 at Lamia et mammosa Ceres est ipsa

---

[1]) De Ab, De, Ex praepp. usu Varron. p 23, supra.

[2]) Vid. ad p. 21.

[3]) Vid. ad pp. 21 sq.

[4]) Sic cum Holtzio edidi ex emendatione Goebeli, cuius tamen viri librum illum, quem citat Holtze, in meas manus non venisse doleo. Lachmann codicum *rebus et igni* in *rebu' benigni* mutavit.

ab Iaccho, ubi *ab* cum nomine personae, per quam orta sit condicio aliqua, indicat.[1]) —

Venio nunc ad exemplum usus cuiusdam ex vulgari sermone sine dubio orti, quod licet unicum apud Lucretium exstet, dignissimum tamen videtur, in quod accuratius inquiramus, quippe quo abundantia loquendi Lucretiana quam evidentissime illustretur.

Nam cum dicitur III, 909 illud *ab hoc* igitur quaerendum est, *ab* „causam eamque extrinsecus, ut ita dicam, allatam indicat, qua quis motus aliquid faciat vel propter quam quid fiat"[2]), eandemque fere vim habet *ab hoc* atque adverbium *itaque*. Hic usus frequentatus est a Varrone, qui scriptor *ab eo* et *a quo* eadem usurpavit significatione[3]). Iam vero fieri potest ut offendatur quispiam ea re quod verba *igitur* et *ab hoc* idem fere significantia uno loco composita sunt. Neque tamen est quod hoc offendamur. Nam praeterquam quod Varro coniunxit *itaque* et *ab hoc* et cum alii scriptores (Terentius, Livius, alii) tum Varro saepe abundanter dixerunt *itaque propterea, itaque ideo, itaque ob eam rem, itaque ergo*[4]). Lucretius, licet non amplius huiusmodi locutionem usurpaverit, at locutiones haud alia ratione ortas: *etiam quoque, item quoque, tamen interea, post inde, inde proporro, quippe enim, licet quamvis*, alias multas[5]) maxime adamavit. Quae cum ita sint, locutio, qualis est *ab hoc igitur (= itaque igitur)*, tantum abest ut a Lucretii consuetudine loquendi abhorreat, ut nihil ea potest reperiri magis Lucretianum, idque miror, quod Kraetschium, qui proprie de abundanti dicendi genere Lu-

---

[1]) Cfr Hand, I, p. 29, et Georges, Lexic. Vix vero est operae mentionem facere editionis Bipontinae *ab Iaccho Iacchi vel amica vel mater* perversissime interpretantis.

[2]) Roessner, p. 25, § 17.

[3]) Roessner, p. 25, § 17.

[4]) Roessner, p. 25, § 17, a).

[5]) Vid. Kraetsch, De abund. dicend. gen. Lucret. pp. 48 sqq.

cretiano disputavit, hoc exemplum haudquaquam minimi momenti fugit. — Hoc igitur exemplo colorem Lucretiani sermonis egregie exhibente opinio pervertitur Roessneri [1]) hunc usum *ab* praepositionis Varronis solius proprium esse dicentis. —

Uno loco Lucretiano *ab* praepositione causa significatur, quae ab animo proficiscitur [2]): III, 74 consimili ratione *ab eodem* saepe *timore* macerat invidia. — Hic usus idcirco memorabilis est, quod priscis scriptoribus ignotus, apud Ciceronis aequales ter invenitur (apud Varr. r. r. I, 2, 19. l. l. VI, 14; in ep. Balb. ap. Cic. ad Att. 9. 7 B, 3) et a Livio admodum frequentatus est. Accedunt Curt. V, 4, 1; Tac. hist. IV, 72; Sil. Ital. qui formulam *ab ira* adhibet. [3]) —

Caput II.

De.

Separari aliquid ab aliqua re, quacum quasi coniuncta fuerit, significationem primariam esse huius praepositionis Heidtmann docuit in Zeitschrift f. Alt. 1846 p. 865 sqq. [4]). Qua quidem ex significatione nescio an notio motus deorsum ita orta sit, ut id quod de aliqua re depromitur facile quodammodo deorsum ferri cogitetur. Sed motus deorsum fieri tum quoque cogitatur, cum aliquid ad aliquam rem moveri dicitur. Ita fit,

---

1) Roessner, p. 26, infra.

2) Roessner, p. 27, Schmalz in Muelleri Handb. d. klass. Alterthumswiss. Bd II, p. 449.

3) Vid. Roessner, p. 27, § 18.

4) Vid. Holtze, Synt. prisc. script. latin. usque ad Terent. p. 54. Cfr praeterea Hand, Tursell. II, p. 184. Kampmann, de De et Ex praepp. usu Plautino p. 1.

ut in locutionibus, quales sunt *devenire, deferre ad,* notio *de* praepositionis motus deorsum quamvis attenuata sit, discerni tamen possit[1]).

Iam vero in singulis rebus tractandis eundem sequemur ordinem, quo usi sumus, de *ab* praepositione cum egimus.

I. „De" de loco positum.

1. De verborum cum „de" compositorum usu ac structura.

a) Verba cum *de* praepositione composita absolute adhibentur

aa) ac primum quidem significatione primaria.

α) De motu: II, 926 Quod si forte suum dimittunt corpore sensum atque alium capiunt, quid opus fuit adtribui id quod *detrahitur.* Cfr VI, 616. V, 981; *decerpere* I, 928. IV, 3; *depasci* III, 12; *derumpere* VI, 539; *deserere* III, 129, 232. IV, 591. V, 1071. VI, 1241, 1286. II, 1102. V, 1387; *demere* II, 21; *decedere* I, 320, 680; *deminuere* V, 323, 389. I, 613; *defluere* III, 518; *deterere* I, 315, 319; *decrescere* I, 314. V, 535; *delibare* III, 24, 1087. VI, 70; *degustare* II, 192; *derivare* II, 365; *declinare* II, 221, 250, 259; *decellere* II, 219; *deplecti* V, 1321; *devitare* III, 1079; *deficere* III, 454, 547. I, 1040. V, 751. VI, 1233. V, 887. III, 610; *defessus* V, 827, 1129, 1145. II, 1174; *delirum* I, 698 et passim; *desistere* III, 970. IV, 975. V, 827; *desinere* II, 1040; *defendere* II, 642. V, 1429; *delere* V, 749; *decipere* I, 941. IV, 16; *deperdere* III, 527; *deperire* II, 296. —

Haec duo verba proxime allata haud indigna commemoratu videntur. Neque enim haec composita sine ullo consilio pro simplicibus *perdere* et *perire* metri ex-

---

[1]) Friedr. Ulrich (Über die Compos. bei Plautus p. 20) nihil discriminis cernit inter „*de*ferre ad" et „*ad*ferre ad".

plendi causa posita esse concesserim, sed *deperdere* multo efficacius esse quam simplex *perdere* ad sententiam poetae depingendam putaverim. Namque addita *de* praepositione dicitur quo modo (quasi partibus detrahendis, depromendis) pereat sensus.

Item localem sensum exauget *deperire* in II, 296. Namque apparet Lucretium hic *de*perire orationis exornandae causa opposuisse verbo *ad*augescere, quo factum est ut crescendi et minuendi vis magna cum venustate quasi sensibus subiciatur.

β) De statu: III, 454 claudicat ingenium, delirat lingua, labat mens, omnia deficiunt atque uno tempore *desunt*. Cfr V, 366; *defieri* (= deesse) III, 220. II, 1141; *deficere* (= deesse) V, 371; *desidiose* IV, 1136; *dementia* I, 704 et passim; *desipere, debere (debilis)*.

bb) De motu deorsum.

demittere VI, 426, 913. V, 629; *deprehendere* VI, 429. V, 990; *despicere* IV, 416. II, 9; *deprimere* IV, 543; *deponere* I, 258; *deorsum* II, 190; addito *in* cum accus.: VI, 837 *in terram delabi*. Cfr VI, 446, 496 et passim.

Notio motus deorsum attenuata est: V, 272 retroque remanat materies umoris et ad caput amnibus omnis convenit, inde super terras fluit agmine dulci qua via secta semel liquido pede *detulit* undas. Cfr V, 64; *derigere* VI, 823; *devincire* IV, 962; *deliciae* II, 22. IV, 1156. V, 1450; *declarare* I, 365. VI, 220, 468; *dedicare* I, 367, 422. III, 208; *depacisci* II, 1087; *degere* IV, 968. II, 16, 1094. III, 322, 509. V, 172, 1122. 1154, 1440; *depugnare* IV, 1015; *devincere* I, 493. II, 291. IV, 962, 1027; *deflere* III, 907.

Addito *ad* cum accusativo: III, 362 sensus — *acies detrudit ad ipsas*. II, 370 *ad sua* quisque fere *decurrunt ubera* lactis (Hoc verb. mult. occur. loc.).

Addito *in* cum accusativo: *devenire* — *in* I, 1027. VI, 1133.

Cum dativo (de motu): II, 72 quae *decedunt* corpora *cuique*. VI, 420 suisque *demit imaginibus* violento volnere honorem. V, 936 *arboribus* — *decidere* — ramos. — (de statu): I, 44 communi *desse saluti*. III, 254 *vitae desit* locus. VI, 814 *vitai* copia *desit*.

Huc refero III, 321 usque adeo naturarum vestigia linqui parvola, quae nequeat ratio *depellere nobis*, ubi forma *nobis* dubitationem admittit, dativus an ablativus statuendus sit.

b) Verba cum *de* praepositione composita una cum nudo ablativo adhibentur.

aa) Significatio primaria: III, 442 quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit eius (scil. animae), quam cohibere nequit, conquassatum ex aliqua re ac rarefactum *detracto* sanguine *venis*. II, 34 nec calidae citius *decedunt corpore* febres. IV, 1042 per membra atque artus *decedit corpore* toto (semen). III, 535 atque ideo cunctis sensum *deducere membris*. I, 370 Illud in his rebus ne te *deducere vero* possit. III, 908 codices praebent *merorem et pectore demet*. Lachmann eumque secuti omnes, quos novi, editores codicum illud *et* in *e* mutaverunt. Equidem putaverim ab initio scriptum fuisse *merorem pectore demet*, librarii vero alicuius aberrasse oculum ex *em* vocabuli meror*em* ad alterum *em* verbi d*em*et indeque librarium nulla sensus ratione habita litteras sequentes *et* scripsisse (dem*et*) quo effectum esse meror*em et*, tum vero nescio quonam casu oculos librarii ad vocabulum *pectore* respexisse, a quo incipientes ad finem *(pectore demet)* demum venisse, unde scripturam traditam: meror*em et* pectore d*emet* exstitisse. Hac via illud *et* inter *merorem* et *pectore* irrepsisse putaverim.

Quod si ita est, eam legem statuere posse mihi videor: in motu ex aliqua re exprimendo nudum ablativum adeo adamasse Lucretium, ut om-

nibus locis, quibus per metrum liceret, praepositionem omitteret[1]).

bb) De motu deorsum: VI, 445 fit quoque ut involvat venti se nubibus ipse vertex, conradens ex aëre semina nubis et quasi *demissum caelo* prestera imitetur. V, 674 et pariter mollem *malis demittere* barbam. V, 401 *deturbavit equis* in terram.

Notio motus deorsum tenuata est: V, 639 qui queat *aestivis* solem *detrudere signis brumalis usque ad flexus.* III, 132 qua propter quoniam est animi natura reperta atque animae quasi pars hominis, redde harmoniai nomen *ad organicos alto delatum Heliconi.*

c) De praepositio ante casum iteratur:

aa) Significatio primaria.

α) De motu: IV, 32 quae, quasi membranae *summo de corpore* rerum *dereptae*, volitant ultroque citroque, per auras. III, 225 nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur propterea neque *detractum de pondere* hilum. III, 514 *de summa detrahere.* III, 1087 *demimus tempore de mortis.*

β) De statu: I, 1111 *qua cumque* prius *de parti* corpora *desse* constitues.

bb) Significatio motus deorsum: VI, 427 in mare *de caelo descendere.* VI, 433. II, 1154.

Verba cum *de* composita alias praepositiones sibi adiungunt:

Ex praepositionem. Significatio primaria: IV, 536 quid *detrahat ex* hominum *nervis.* Significatio deorsum: VI, 257 picis *e caelo demissum* flumen. VI, 914 unus — *ex uno dependet.*

Ab praepositionem: V, 685 et quod *ab alterutra detraxit parte.* VI, 621 umoris parvam *delibet ab aequore* partem. Cfr I, 102 sq. Tutemet *a nobis* iam quovis tempore vatum terriloquis victus dictis *desciscere* quaeres. III, 860 *deerrarunt* passim motus *ab sensibus* omnes.

---

[1]) Cfr pp. 11 et 36.

2. „De“ ante casum adhibitum ex aliis verbis pendet.

Sequitur ut reliquorum verborum compositorum et simplicium una cum *de* praepositione apud Lucretium occurrentium exempla proferamus.

a) Significatio primaria: VI, 84 lintea *de summo* cum *corpore fucum mittunt.* II, 846. IV, 123, 875, 74. III, 991. IV, 64, 43, 59. II, 1124. VI, 76. V, 275. IV, 308, 53, 31. III, 213. V, 568. VI, 209. IV, 145, 541. VI, 819, 884. V, 920. VI, 766. III, 608, 223. IV, 1133. V, 487, 576. I, 1017 *dispulsa suo de coetu.* I, 384.

V, 703 solem *certa de surgere* parte. IV, 344 *de speculi qua parte recedas.* IV, 522 *omni — de parte feruntur.* VI, 99 nec *fit* enim *sonitus caeli de parte serena.* Hoc tamen in exemplo proxime allato motus deorsum cogitari licet.

His accedunt VI, 855 calidum *supera de reddere parte.* Cfr IV, 932. VI, 820. I, 437. II, 235. VI, 604.

VI, 117 Fit quoque enim inter dum ut non tam concurrere nubes frontibus adversis possint quam *de latere ire* diverso motu radentes corpora tractim. Motum de superficie exprimunt: VI, 467 *vertice de montis* videantur *surgere* in aethram (nubila). IV, 1003 *corpus de terra corripere* instant. Hoc loco adfero etiam I, 788 meare a caelo ad terram, *de terra* ad sidera mundi, ubi *de* manifestum est pro *ab* metri causa positum esse.

Loco adverbii dictum est I, 411 *de plano* possum promittere.

b) Motum deorsum ac primum quidem deorsum tantum V, 793 *de caelo* cecidisse. Cfr VI, 386.

De superficie: III, 1016 horribilis *de saxo* iactu' deórsum. Cfr VI, 735. IV, 1020. II, 210.

Pro *ex* haud dubie metri causa: I, 413 usque adeo largos haustus e fontibu' magnis lingua meo suavis diti *de pectore* fundet. Cfr II, 354. VI, 329. IV, 338, 326. V, 794. VI, 633. V, 906. IV, 1056, 397.

II. „De“ de tempore adhibitum.

Primum adfero *de subito* (II, 265. III, 643), quam locutionem minus usitatam iam apud Plautum deprehendimus [1]).

Prope accedit ad notionem *post:* V, 651 aut ubi *de longo cursu* sol ultima caeli impulit, quod tamen de loco accipiendum est.

Temporis vis plenior est: VI, 290 *quo de concussu* sequitur gravis imber et uber.

H. l. conferenda sunt adverbia *deinde, deinceps, denique.*

III. „De“ de origine usurpatum.

Ad originem exprimendam poetas eosque secutum Tacitum scriptoresque posterioris latinitatis saepe *de* praepositionem usurpasse constat. [2]) Apud Lucretium quoque haud rara huius generis exempla occurrunt.

V, 279 haut igitur cessat *gigni de rebus* et in res reccidere.

Hic adfero III, 750 effugeret canis *Hyrcano de semine* saepe cornigeri incursum cervi, qui locus eo memorabilis est, quod ad illustrandum usum Lucretii elliptice loquendi, de quo antea passim egimus, exemplum addit.

Valde memorabilis est usus *de* praepositionis in origine etymologica exprimenda positi. VI, 908 quem Magneta vocant *patrio de nomine.* Inusitate atque pri-

---

[1]) Vid. Kampmann, De *De* et *Ex* praepp. usu Plautino p. 4 qui *desubito* (ut *derepente* et *denuo*) scribi vult. Equidem *de subito* ex analogia locutionis *de improviso, ἐκ τοῦ ταχέος,* scribendum censeo (Cfr Philol. XXXIV).

[2]) Cfr Schmalz in Muelleri Handb. d. klass. Alt. II, p. 449. „*De* est la préposition favorite de la latinité posterieure“ (Gölzer).

mum hic in litteris latinis pro *ab* (aut *ex*) sic adhibitum *de* non amplius hac significatione usurpavit Lucretius. Vergilius demum ceterique Augusti aevi poetae hunc usum frequentarunt, Tacitus vero primus in prosam orationem hunc transtulit usum. [1])

De materia una cum his verbis: *nasci* II, 733, 793; *gigni* I, 836; *oriri* IV, 1227; *creare* III, 278. II, 791; *crescere* IV, 1214; *concrescere* I, 840; *constare* IV, 1229; *grandescere* I, 191; *augescere* II, 877; *existere* II, 872; *facere* II, 975; *fieri* II, 824. IV, 1225; *esse* II, 390, 999.

De nilo his locis atque ex his verbis pendens occurrit: *renasci* I, 542, 674, 757; *creare* I, 157, 266, 544. *crescere* I, 858; *fieri* I, 159, 180, 205. II, 287.

IV. De causa

positi *de* duo tantum inveniuntur exempla: VI, 85 *qua de causa*. VI, 204 *Hac* etiam fit uti *de causa* mobilis ille devolet in terram liquidi color aureus ignis.

V. „De" = περὶ cum gen. [2])

Huc quae pertinent exempla, numero sunt frequentissima neque quicquam inusitati praebent. Quamobrem allatis III, 825 advenit id quod eam *de rebus* saepe *futuris macerat* inque metu male habet curisque fatigat, V, 1082 et quom *de victu* certant praedaeque repugnant, IV, 816 deinde adopinamur *de signis* maxima *parvis*, cetera exempla exscribere supersedeo, satisque habeo notare ubi reperiantur: III, 853. IV, 989. V, 393. III, 843, 852. I, 127, 25. VI, 940. IV, 6. I, 54, 334, 416.

---

[1]) Cfr Th. Ladewig ad Verg. Aen. I. 277.

[2]) Cfr Holtze Synt. Lucr. lin. p. 60.

424, 931, 933. II, 978. IV, 8, 1018. V, 53, 110. VI, 768, 979.

VI. „De“ partitiva vi positum.

Hic usus iam in prisca latinitate obvius [1]), scriptoribusque aureae, quae vocatur, aetatis admodum frequentatus, postea temporum cursu adeo increbruit, ut iam in linguis romanicis, quae vocantur, locum genetivi obtineat [2]). Ne apud Lucretium quidem raro huius generis exempla occurrunt.

Primo loco adfero IV, 145 semper enim *summum quicquid de rebus* abundat, quamquam hoc quidem exemplum, quod Holtze [3]) huic generi subiunxit, de loco potius fortasse accipiendum est.

Iam vero partitivam vim pleniorem praebent: II, 183 nunc id *quod super est de motibus* expediemus. III, 852 et nunc nil ad nos *de nobis* attinet, ante qui fuimus. II, 104 et *cetera de genere* horum. Cfr V, 893, 1449. III, 481 *cetera de genere hoc.* Cfr IV, 462, 590. V, 845. IV, 744, 832, 1170. VI, 244. V, 37, 164. II, 430. VI, 676 *omnia de genere omni.*

---

[1]) Cfr Kampmann, De *De* et *Ex* praepp. usu Plautino, p. 2 sq.

[2]) Cfr Schmalz in Muelleri Handb. d. klass. Alt. p. 449.

[3]) Synt. Lucr. lin. p. 59, b).

Caput III.

Ex.

„*Ex* praepositio indicat exire aliquid ex interioribus alicuius rei partibus, i. e. omnibus illis, quae certis quibusdam finibus inclusae sunt, quemadmodum quae opposita est *in* praepositio plane contrarium significat. Verum non modo de loco dicitur, sed etiam de aliis rebus et actionibus, in quibus aliqua loci similitudo est, de origine, causa, materia, de transitu ex una condicione et forma in alteram, de omni re, qua norma aliqua alteri rei affertur, denique de tempore“ [1]).

I. „Ex“ de loco adhibitum.

Primum

1. Verba cum „ex“ composita

tractemus atque ita quidem ut primo loco ponamus

a) verba absolute adhibita.

aa) Significatio primaria.

α) De motu: VI, 512 copia nimborum turba maiore coorta urget et e supero premit ac facit *effluere* imbris. Cfr VI, 971; *eicere* III, 497, 571. IV, 1046, 917; *erumpere* VI, 583; *exagitare* VI, 583; *effari* V, 104; *exanimare* II, 1104. III, 714. VI, 705, 1256, 1273; *effervere* II, 928. III, 295. V, 1335; *efflare* VI, 699. II, 832. V, 652; *extollere* VI, 699; *exilire* VI, 163. II, 200; *emergere* II, 200; *exsolvere* II, 381. VI, 878. I, 220; *effundere* III, 113. I, 91, 125; *exprimere* VI, 478. V, 1098, 487, 453. VI, 328, 181, 212, 275, 286, 847, 867. III, 694. IV, 323, 618, 620. II, 204. III, 495. V,

---

[1]) In hoc usu definiendo verbis usus sum Kampmanni de *De* et *Ex* praepp. usu Plaut. p. 9.

1029; *evellere* III, 310; *excire* IV, 1215, 101. II, 327; *effugere* III, 1069. I, 975. III, 524. V, 994. IV, 1150, 823. I, 852, 983; *edere* IV, 1015. V, 722. II, 816. III, 560. II, 119. IV, 1010; *evolare* VI, 314; *exaestuare* II, 1137; *extrudere* VI, 692. III, 964; *excutere* VI, 161; *excludere* IV, 1177. V, 802; *exhalare* II, 417. III, 432. V, 253, 463. VI, 811; *expirare* III, 720. VI, 810; *elidere* IV, 339, 323, 296; *emittere* IV. 795, 205. V, 1088; *eximere* III. 863; *eripere* III, 58; *elucere* II, 1051; *excitare* VI, 309, 442; *expromere* II, 887; *enumerare* VI, 1071; *excidere* III, 675; *expergefacere* II, 413. IV. 994. V, 1208. III. 929; *existere* I, 198. II, 702. III, 532, 621. IV, 1218. VI, 526, 660. V, 212; *exoriri* I, 124. II, 252. I, 5, 180, 187. II, 507. III, 1044. IV, 393, 538, 605. IV, 1172; *efficere* I, 20, 29, 686, 977, 1031. II, 713, 777. III, 227. IV, 245, 956. V, 48, 454, 1182. VI, 17, 237; *exaudire* IV, 555. III, 467; *exigere* IV, 1235; *extendere* I, 230. III, 490; *exponere* III, 975. I, 121, 732, 833, 1086. III, 316, 951. IV, 778, 970. VI, 26; *evolvere* I, 954; *expedire* I, 499. II, 66, 183. IV, 634, 931. V, 77, 113. VI, 245, 497, 641, 682, 739, 1093; *expandere* I, 126; *experire* V, 428, 1452, 1309. I, 1026. II, 441, 489; *exterrere* II, 1040; *expugnare* II, 1145. IV, 1013; *exaequare* I, 79. V, 1296, 688 *explere* VI, 1203. IV, 532. I, 606. III, 1004, 1007, 1010 IV, 876, 1093. VI, 21; *exire* VI, 1206, 586, 727. IV, 398. V, 1330. VI, 1217; *exuere* IV, 61; *exercere* V, 1424. II, 1103. IV, 1128. II, 97, 120. Praeterea haec verba passim reperiuntur: *evertere, exhaurire, epotare, eluere, exsiccare, exedere, exurere, excoquere, expolire, explaudere, excruciare.*

Addito *in* cum accusativo: II, 796 neque *in lucem existunt* primordia rerum. *exoriri* I, 23; *enare* III, 591; *efferre* I, 179. II, 654; *excipere* II, 810; *expirare* VI, 816; *extendere* VI, 435.

Addito *ad:* II, 138 motus — *exit* paulatim nostros *ad sensus.* V, 698 *emergere ad ortus.*

Addito *per:* VI, 1189 *per fauces* raucas vix *edita* tussi; *exire* V, 770. III, 589. VI, 494; *eicere* II, 951; *egredi* II, 437; *exhalare* IV, 864; *expirare* VI, 640.

β) De statu: *eminere* I, 780. III, 284; *extare* II. 1033, 933. I, 336, 525, 587, 601. III, 97, 243, 265. VI, 893, 956. V, 477, 903. 1034. VI, 500, 535. III, 194. II, 356. III, 987, 977; *exsuperare* II, 234. III, 1082. V, 384. VI, 1277; *excellere* VI, 13.

bb) De motu sursum.

VI, 1044 *exultare* etiam Samothracia ferrea vidi et ramenta simul ferri furere intus ahenis in scaphiis. VI, 550. II, 195, 631. III, 141; *exurgere* III, 174; *extollere* IV, 1027, 405; *escendere* V, 1301; *extruere* VI, 186, 188, 247, 268, 561, 964, 1284; *erigere* IV, 404. V, 1208, 1331; *efferre* VI, 89; *editus* V, 709, 1132. VI, 460, 562. II, 8.

Una cum dativo duobus tantum locis Lucretianis: III, 958 inperfecta *tibi elapsast* — vita. Cfr I, 1116.

b) Cum nudo ablativo: IV, 1148 nam vitare plagas in amoris ne iaciamur non ita difficile est quam captum *retibus ipsis exire.* I, 670 *suis* mutatum *finibus exit.* Cfr I, 792. III, 519; IV, 1041 simul atque *suis eiectum sedibus exit.* VI, 795 et *manibus* nitidum *teneris* opus *effluit* ei. I, 932 animum *nodis exsolvere.* Cfr IV, 7; V, 1076 fremitum *patulis* ubi *naribus edit* ad arma. V, 70 quae *tellure* animantes *extiterint.* I, 869 quae *terris exoriuntur.* III, 330 naturam *corpore toto extrahere.* III, 48 *extorres* idem *patria* longeque fugati. II, 703 ramos *egigni corpore vivo.* I, 660 *exempto rebus* inani. Cfr I, 742. V, 797. VI, 120, 1221. IV, 514. V, 952. I, 724. III, 1012. IV, 548. VI, 681. IV, 38. II, 195. VI, 1224. III, 358. II, 45. IV, 504, 1115. V, 910. III, 772, 154. IV, 36.

Huc pertinet: V, 984 *eiectique domo.*

Ex his igitur exemplis amor Lucretii nudum ablativum adhibendi luculentissime evadit. Etenim omnibus fere quos exscripsi locis quominus praepositio admitteretur metrum haudquaquam impedimento fuisse, vix est quod moneam.

H. l. adfero II, 595 (arbustaque) *unde extollere* possit. Cfr III, 69. V, 1153.

c) Ex ante casum iteratur: III, 1060 *exit* saepe foras *magnis ex aedibus* ille. IV, 694 *ex alto* primum quia vix *emittitur ex re.* I, 811 omnibus *e nervis atque ossibus exsoluatur.* Cfr III, 696; V, 341 aut *ex imbribus* adsiduis *exisse* rapaces per terras amnes. Cfr IV, 694. III, 720, 877, 1, 583. II, 305. III, 327. V, 50. II, 1041. V, 833, 1278. I, 218. V, 829, 835.

Verbis cum *ex* compositis adiungitur

De: V, 794 terrestria *de salsis exisse lacunis.* II, 354 sanguinis *expirans* calidum *de pectore* flumen.

Ab: III, 58 nam verae voces tum demum *pectore ab imo eiciuntur.*

VI, 688 hic ubi percaluit cale fecitque omnia circum saxa furens, qua contingit, terramque, et *ab ollis excussit* calidum flammis velocibus ignem. VI, 723 ille ex aestifera parti venit amnis ab austro inter nigra virum percocto saecla colore *exoriens* penitus *media ab regione* diei.

2. „Ex" ante casum adhibitum cum aliis verbis usurpatur.

III, 218 ergo animam totam perparvis esse necessest seminibus, nexam per venas viscera nervos; quatenus, omnis ubi *e toto* iam *corpore cessit.* VI, 620 *ex uno quoque loco* sol umoris parvam *delibet* partem. VI, 148 ut *calidis* candens ferrum *e fornacibus* olim stridit ubi in gelidum propere demersimus imbrem.

Hoc exemplum eam, quam supra statuimus, legem: nusquam, ubi per metrum liceret, *ex* praepositionem usurpasse poetam, pervertere videtur. At non potuit omitti praepositio in huiusmodi elliptica locutione, quia facile ea re ambiguitas aut obscuritas sententiae exstitisset. Ambiguitatis evitandae causa etiam in IV, 91 *diffusae e rebus abundant* (si quidem ita edendum est) *e* adhibitum est, quoniam omissa praepo-

sitio facile id effecisset, ut translatam significationem verbo *abundant* tribueremus i. e. verba *rebus abundant* ita acciperemus, ut magnam rerum copiam habere significare putaremus. Quod tamen non dici a poeta, nemo non videt.

Cett. exx. V, 11, 162, 979. I, 737, 118. VI, 6. I, 39. II, 270. I, 1062. IV, 157, 862, 86. II, 715. VI, 553. IV, 1094. II, 711. I, 554. IV, 536. VI, 32. IV, 720, 432. V, 387. II, 159. IV, 1040, 1037. II, 304. III, 658. VI, 1259. II, 1000. III, 697. I, 811. III, 439. VI, 825. II, 663, 660. II, 1156. V, 322. VI, 506, 628, 273. V, 303. VI, 246. IV, 928. I, 412 largos haustus *e fontibus* magnis. VI, 788 *terris ex* omnia surgunt. Cfr VI, 474, 476, 499; VI, 1013 corpora — *e ferro* plura coorta in vacuum ferri. Cfr VI, 1002, 944. V, 601. VI, 634, 145. V, 225. IV, 1032. VI, 312, 313, 257, 304, 346, 444, 201. II, 968. IV, 739. III, 107, 109. II, 823. I, 804. IV, 1249. V, 598. III, 10; VI, 558 collectus *parte ex una* procumbit. V, 511 *ex utraque* polum *parti* premere aëra. IV, 830 manusque datas *utraque ex parte* ministras. Editio Bip. Marulli *utraque a parte* recepit. Codices habent *utraque parte*. Cfr I, 996. VI, 721. V, 615, 637, 645, 712. VI, 610, 1261. II, 1112; VI, 1018 *e transverso*. VI, 823 cadat *e regione* loci. Cfr VI, 833. Locutio *e regione* IV, 374. VI, 344, 742; III, 877 *e vita* se tollit. III, 163 corripere *ex somno* corpus. Cfr IV, 1022. III, 925. II, 900. V, 1125. IV, 908, 49. I, 856, 218. II, 70; IV, 852 *ex usu vitaque* reperta.

Una cum adiectivo substantive usurpato: III, 582 *ex imo*. Cfr IV, 200, 863, 694, 73, 92; II, 248 *ex supero*. Cfr II, 241, 227. VI, 512.

Locus unde quid agitur designatur [1]): II, 2 *e terra* magnum alterius spectare laborem. Cfr IV, 290, 107, 545, 312. II, 612. IV, 348, 273. III, 289; VI, 409 *ex illa parte*.

Saepissime vero hic usus in formula *ex parte* exstat [2]): III, 30 tam manifesta patens *ex omni parte* retecta est.

---

[1]) Cfr Roessner, p. 46, § 37.

[2]) Roessner, p. 47, supra.

Cfr VI, 1029. IV, 515. V, 721. IV, 721, I, 667, 843, 217. VI, 694.

Huc referendum est I, 854 *ex aequo*. *(ἐκ τοῦ δικαίου)*.

Iam vero adferam locutiones *cognoscere, conicere ex*, similes, in quibus localem, non causalem vel instrumentalem sensum, sicut volunt viri docti [1]), premendum esse censeo.

VI, 915 *ex alioque* alius lapidis vim — *noscit*. I, 751 *conicere* ut possis *ex hoc*. Cfr II,121; IV, 663 facile est *ex his rebus cognoscere* quaeque. Cfr VI, 423; V, 197 *aliisque ex rebus reddere* multis. V, 196 *ex* ipsis caeli *rationibus* ausim *confirmare*. V, 1134 *petuntque* res *ex auditis*. V, 1133 *sapiunt* alieno *ex ore*. VI, 987 alioque (sensu) saporem *cernimus e sucis*. I, 407 sic *alid ex alio* per te tute ipse *videre*.

His adnumero I, 1115 *alid ex alio clarescet*. V, 1456 *alid ex alio clarescere*. Neque enim ita *ex* his locis accipi velim (ut Holtze accepit), ut eandem habeat vim ac *post*. Concedo equidem, per se hos versus si perpendimus, temporis iis vim tribui posse. Sed his locis Lucretium *ex* praepositioni temporis vim non tribuisse ex eo conicio, quod I, 1117 dicitur: ita *res accendent lumina rebus*, ex quo videre licet non id dicere Lucretium, aliquid post aliud clarescere, sed aliqua re vel alicuius rei ope aliud clarius fieri.

Localis vis praepositioni tribuenda est etiam in *ex animo* III, 914. IV, 1195 et *summis ex viribus* IV, 1210, quamquam locutionibus his exprimitur, quomodo vel quantopere quid fiat.

Denique adfero locutionem *ex ordine* (IV, 370, 570, 574, 973. V, 679, 418. I, 605).

Motum ex coniunctione quasi a termino quodam exprimit VI, 1057 Illud in his rebus mirari mitte, quod aestus non valet *e lapide* hoc alias impellere item res. Valde hoc exemplum eo memorabile est, quod ex-

---

[1]) Cfr. Roessner, p. 63, § 46; Kampmann, p. 16; Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 66, e).

spectes *a lapide*. Neque tamen ulla hic valuit metrica ratio. Quod cum ita sit, ne in II, 1049 quidem (et *latere ex utroque* supra supterque per omne nulla est finis) *ex* metri causa pro *ab* adhibitum esse putandum est. Simili ratione dictum est *ex — usque:* VI, 696 *ex hoc usque mari* speluncae montis ad altas perveniunt subter fauces.

Ex hac loquendi ratione sine dubio oriundae sunt locutiones, quales sunt *pendere*, *apisci ex:* VI, 911 quippe catenam saepe ex anellis reddit *pendentibus ex se.* Cfr VI, 914. I, 37. IV, 829. VI, 1009.

II, 523 quod quoniam docui, pergam conectere rem, quae *ex hoc apta* fidem ducat.

Motus ex superficie fit.

V, 946 ut nunc *montibus e magnis decursus* aquai clarigitat late sitientia saecla ferarum. Cfr I, 283, 1086. III, 1001 tamen *e summo vertice* rusum volvitur. Codices praebent: tamen *summo — vertice.* Marullus coniecit *a summo.* Praestat tamen Avantium *e summo* proponentem sequi, quia etiam in V, 1125 *e summo* est, cum *a summo* nusquam alibi reperitur.

V, 663 fama est *e montibus* altis — ignis cerni.

II. „Ex" de tempore usurpatum.

Saepissime apud Lucretium occurrunt locutiones *ex infinito tempore* (I, 550, 991. II, 574. V, 188, 316, 378, 423) *ex infinito* (I, 997, 1025, 1036. II, 255, 530. V, 367, 408, 414. VI, 666).

Uno loco (I, 578) *ex aeterno tempore* deprehenditur. Admodum frequentata est locutio *ex ineunte aevo*, quae sine dubio metri causa pro vulgari *ab ineunte aetate* adhibita est.

Temporis notio inest etiam in *ex inproviso* (II, 1034).

Pro vulgari *hodie* dictum est III, 1092 *ex hodierno lumine* qui finem vitai fecit, ubi *ex* positum est in ex-

primenda condicione, quae a certo quodam temporis momento initium capit et continuatur.[1])

Notio *post* inest in V, 1305 alid *ex alio* peperit discordia. Cfr V, 829, 835. VI, 1236. — H. l. conferenda sunt adverbia *extemplo* et *exinde*.

III. De origine usurpatum

invenitur *ex* una cum *oriri:* I. 161 *e mare* primum homines, *e terra* posset *oriri* squamigerum genus. Cfr II, 383, 387, 930, 932; *nasci* II, 159; *gigni* I, 172; *crescere* I, 867; *creare* V, 796, 1013; *procreare* V, 319; *esse* IV, 627.

De materia. Huius generis exempla numero sunt frequentissima: *gigni* I, 835. IV, 604. II, 870, 892, 888, 759; *nasci* III, 710; *oriri* I, 204. III, 970. Huc refero V, 609 stipulamque videmus accidere *ex una scintilla* incendia passim, qua in elliptica locutione subaudias ex. gr. *orta.* Hoc exemplum Holtze non in iis numeravit exemplis, quae collegit de origine. Atqui in iis numerandum est. Nam stipulam *accidere ex una scintilla incendia* quid est aliud nisi stipulam accendi vel uri incendiis ex una scintilla ortis.[2]) *Creare* II, 790, 791. I, 646. 773, 785, 763. II, 903, 902; III, 34 *concrescere* I, 841; *procrescere* I, 714 sq.; *consistere* I, 839, 235. V, 237. II, 584.I, 706, 636; *constituere* II, 668; *compingere* V, 880; *facere* IV, 738; *perficere* III, 267; *reficere* I, 263; *conficere* III, 137; *confieri* V, 890; *apisci.* III, 839; *munire* II, 538; *conciliare* I, 611; *augere* I, 874; *reddere* VI. 911; *exire* V, 341; *constare* I, 865, 869, 622, 616. II, 866. I, 872, 796. II, 981 sq. 820. IV, 534. II, 698, 691. IV, 648; *vigere* IV, 27; *videri* IV, 399; *esse* II, 466, 458, 451, 402, 731. V, 455. II, 785, 984. III, 375. III, 865. VI, 330. II, 1070. I, 664, 654; *extare* III, 244.

E nilo ter deprehenditur: una cum *gigni* I, 150; cum *crescere* I, 185; cum *fieri* I, 669. *De nilo* quan-

---

[1]) Cfr Kampmann, p. 20, et Holtze, synt. Lucr. lin. p. 67, i).

[2]) Cfr Lachm. Comment. ad. h. l.

to saepius dixerit Lucretius, iam supra[1]) vidimus. Quod cum ita sit, cumque I, 157, 266, 542, 544, 674, 757, 858, II, 287, etsi nulla impedimento fuit metrica res, *e* praepositionem non admiserit Lucretius, sed ei praepositioni praetulerit *de* praepositionem, nescio an haud sine verisimilitudine dubitari liceat, usurpassetne his (I, 150, 185, 669) locis *e* praepositionem poeta noster, modo per metrum fieri potuisset, ut *de* adhiberetur.

Iam vero exempla enumeraturi, in quibus ex mutationem indicat, primum adfero IV, 821 alia *ex alia* facies aetasque *sequatur*, quod exemplum mirum in modum quasi medium tenet locum inter exempla temporalem vim exhibentia et exempla mutationem indicantia. Dubius enim haereo, hic an ille sensus huic loco tribuendus sit. Hoc ut statuamus ea adducimur re, quod paulo ante praecedunt: *femina* quae fuit *ante* — *vir* — *factus* videatur, ad illud autem inclinamus, cum significationem temporalem *sequatur* vocis respicimus. Quapropter optime fortasse rei consulimus, si neque hoc neque illud solum pro certo affirmamus, sed utrumque sensum his locis tribui posse statuimus.

Sequuntur exempla, in quibus *ex* haud dubie adhibitum est ad „indicandam mutationem quandam, ita ut res conditionem sive naturam sive formam, quam habet, relinquat aut amittat et aliam induat" [2]).

II, 778 saepe *ex aliis formis* — *efficitur* quiddam *quadratum*. Cfr III, 761, 186. IV, 325. III, 545, 704, 965. I, 630, 661.

His adiciendum non est ed. Bip. I, 912 permagni referre eadem primordia saepe cum quibus et quali positura contineantur et quos inter se dent motus accipiantque, atque eadem paulo inter se mutata *creare ignes e lignis*. Lachmann enim correctorem quadrati Wakefieldumque secutus codicum *ignes e lignum* in *ignes et lignum* mutavit. Quae quidem coniectura mihi maxime

[1]) Vid. ad p. 32.

[2]) Kampmann, p. 18.

probabilis videtur, quod *t*-litteram excidisse quam *lignum* ex *lignis* exstitisse verisimilius mihi videtur.

IV. „Ex“ de causa positum.

Localis vis premitur: II, 873 *ex imbribus* putorem nacta est tellus. III, 441 quam cohibere nequit conquassatum *ex aliqua re*. V, 929 nec facile *ex aestu* nec frigore quod caperetur. Huc referendum est exemplum ellipseos Lucretianae: V, 20 *ex quo* — permulcent animos solatia vitae.

Causalis vis iam plenior est: II, 438 atque *ex offensu* cum turbant corpore in ipso semina, confundunt inter se concita sensum. VI, 280 nam duplici ratione accenditur, ipse sua cum *mobilitate* calescit, et *e contagibus* ignis, quod exemplum iis adiciatur exemplis, quibus supra studium Lucretii elocutionis variandae illustrare conatus sum. His omnibus locis *ex* in exteriore causa indicanda positum est. — Interiorem causam exprimunt: V, 1146 nam genus humanum defessum vi colere aevom, *ex inimicitiis* languebat. III, 157 denique concidere *ex animi terrore* videmus saepe homines. VI, 72 non quo violari summa deum vis possit, ut *ex ira* poenas petere inbibat acris. Cfr V, 1148; V, 860 multaque sunt, nobis *ex utilitate* sua quae commendata manent.

Ut supra[1]) vidimus, duobus tantum locis Lucretianis una cum verbo *causa* usitatius *de* deprehenditur. Paulo saepius *e* occurrit: V, 752 *pluribus e causis*. V, 1252 quidquid id est, qua cumque *e causa* flammeus ardor horribili sonitu silvas exederat. III, 593 saepe *aliqua* tamen *e causa* labefacta videtur ire anima. VI, 172 *e simili causa*[2]). III, 1055 *e quibus* id fiat *causis*.

---

[1]) Vid. ad. p. 32.

[2]) Sic oblongus et Brix. ed. Quadratus, Antonius, Veronensis: *et simili*.

His adnumero VI, 761 et *quibus e* fiant *causis* apparet origo. Lachmann propter traiectionem praepositionis a tradita scriptura abhorrens aut Marulli *et quibus e causis fiant* recipiendum, aut ex coniectura *et quibus effiant causis* edendum esse censuit. Atqui nihil prorsus esse, quod hac collocatione praepositionis offenderemur, immo inter adiectivum et substantivum primum praepositionem, deinde alium verbum libenter ponere Lucretium exemplis enumeratis iam Winckelmann[1]) docuit. Quorum quidem exemplorum quamquam plurima eiusmodi sunt, ut aut dubiae emendationi aut metricis rebus tribui possint, uno tamen loco V, 501 corporibus liquidis sunt omnia pura relicta et leviora aliis alia, et liquidissimus aether *atque levissimus aërias super influit auras*, nullam valuisse metricam rem, vix est quod moneam. Nihil enim obstitit, quominus *atque levissimus influit aërias super auras* scriberet poeta.

Quod cum ita sit, scripturam recepi Winckelmanni,[2]) Handii[3]) V, 703 *certa de surgere parte* scribentium. Quid h. l. codices praebeant nescio, cum Lachmann, Bernays aliique editores nulla codicum mentione facta *certa desurgere parte* ediderint.

In instrumento exprimendo positum est *ex:* VI, 1012 quo minus est mirum, quo ducitur *ex elementis* — quin anulus ipse sequatur.[4])

V. „Ex" partitivam habet vim.[5])

Primum adfero III, 718 sin ita sincera e membris ablata profugit, ut *nullas partis* in corpore liquerit *ex se*, ubi de loco fortasse cogitandum est. II, 693 *nulli*

[1]) Beitr. zur Krit. des Lucretius, p. 4.
[2]) Beitr. zur Krit. d. Lucr. p. 4.
[3]) Tursell, p.
[4]) De h. l. vid. Lachmann Comm.
[5]) Cfr Kampmann, p. 14, et Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 64.

inter se duo sint *ex omnibus* idem. II, 969 quandoquidem non sunt, *ex ullis* principiorum corporibus quorum motus novitate laborent. V, 531 *e quibus una* tamen siet haec quoque causa necessest. — Una cum verbo *genus* duobus tantum locis: VI, 710 aliquid *genere* esse *ex hoc* quod contigit ei scimus. Cfr VI, 1066. Saepius *de* praepositionem hac significatione adscivisse hoc verbum, supra [1]) vidimus.

Caput IV.

Ad.

Haec praepositio, cui plane contraria est *ab* [2]), directionem ad aliquid significat et ita quidem, ut contactus quasi quidam et coniunctio petatur h. e. motus denotatur, qui ubi ad fines alicuius rei pervenerit, finiatur neque intro progrediatur. Neque vero motus tantum ad aliquid, sed etiam status apud aliquid hac praepositione indicatur. [3])

I. „Ad" de loco adhibitum.

1. Verba cum „ad" composita.

a) Absolute posita.

α) De *motu:* VI, 234 conlaxat rareque facit lateramina vasis *adveniens* calor. Cfr VI, 1105. III, 782. IV, 873. I, 7.

---

[1]) Vid. ad p. 33.

[2]) Cfr p. 1.

[3]) Cfr Keller, De verb. cum praepp. compos. ap. Lucr. usu, p. 16, et E. Schaeffer, Comment. de usu praepp. Terent. part. I, p. 19.

V, 985. VI, 1137. III, 825; *adire* IV, 330. VI, 919. V, 743. I, 677; *adferre* V, 547. III, 354; *atportare* V, 221; *adicere* I, 689. IV, 673; *adiungere* II, 604; *accedere* II, 1129; *adnectere* III, 688; *adigere* V, 1330. VI, 778. III, 171; *attribuere* II, 614, 925; *addere* II, 492. III, 513. IV, 465, 468. II, 1107. III, 900. VI, 336. III, 1036, 1037. V, 572. VI, 611, 613. I, 712. IV, 1121 sq. VI, 330, 335; *adsciscere* V, 87. VI, 63; *accipere* III, 894. VI, 1063. I, 269. IV, 611, 982. VI, 164, 171. V, 1408. III, 313. IV, 1052. VI, 150. II, 762, 885, 1009; *attingere* IV, 623. III, 261; *adfligere* IV, 1081; *adfigere* IV, 1108; *adfingere* V, 164; *apparere* I, 878. II, 1110. IV, 156. VI, 449, 466. III, 18. II, 141. VI, 761; *aspicere* I, 65, 91. VI, 780; *adcelerare* VI, 772; *advertere* IV, 812. III, 45; *adpetere* V, 1279; *admissum* III, 827; *accidere* VI, 585; *accingi* II, 1043; *adiumentum* VI, 1023; *adfirmare* IV, 583; *adridere* II, 32; *admiscere* IV, 1085, 1247; *ascensus* V, 493; *adlaudabilis* V, 158; *adhibere* I, 828. V, 229; *adumbratim* IV, 363; *adimere* III, 898, 404, 652, 869, 1033; *adsugere* IV, 1194; *accumulare* III, 71. VI, 1263; *adolescere* II, 1123. III, 449. IV, 1038. V, 800; *adaugescere* II, 296, 564, 1122. VI, 614, 508; *affluere* VI, 13.

β) De statu: *adesse* I, 178; *adesse praesto* V, 1412; *astare* III, 883; *adsiduus* I, 995 et passim. *adhaerere* VI, 914. III, 557, 381. VI, 472; *adsimilis* I, 1061. II, 493. IV, 336, 425.

Quod ad locutionem *adesse praesto* (V, 1412) attinet, quae pro vulgari *esse praesto* posita miram praestat exaggerationem notionis, verbum compositum *adesse* pro simplici *esse* metri causa non adhibitum est, sed notio *prae* praepositionis, quae inest in verbo *praesto*, ex abundanti dicendi consuetudine Lucretiana, quam supra[1]) pluribus exemplis illustravi, adiecta *ad* praepositione consulto iterata est.

Una cum dativo.

α) De motu: VI, 1036 denique res omnes debent in corpore habere aëra, quandoquidem raro sunt corpore

[1]) Vid. ad. pp. 13 et 24.

et aër *omnibus* est rebus circum datus *adpositusque*. Cfr III, 373; V, 473 quae neque terra *sibi adscivit* nec maximus aether. II, 1124 plura *sibi adsumunt* quam de se corpora mittunt. Cfr IV, 1091; V, 567 calidum *membris adflare* vaporem. V, 100 ut fit ubi insolitam rem *adportes auribus* ante. II, 836 propterea fit ut non *omnibus adtribuas* sonitus et odores. Cfr III, 242; IV, 391 sidera cessare *aetheriis adfixa cavernis* cuncta videntur. Cfr IV, 1138, 1242. V, 1322. V, 1195 O genus humanum, talia *divis* cum tribuit facta atque iras *adiunxit* acerbas. IV, 297 sic eliditur, ut siquis, prius arida quam sit cretea persona, *adlidat pilaeve, trabive*. Cfr IV, 570; I, 369 est igitur, ni mirum, id quod ratione sagaci quaerimus, *admixtum rebus*, quod inane vocamus. Cfr I, 382, 655. II, 467; IV, 99 quae cumque *apparent nobis* simulacra. V, 333 nunc *addita navigiis* sunt multa. V, 98 nec me animi fallit quam res nova miraque *menti accidat* exitium caeli terraeque futurum. Cfr V, 171. IV, 882. III, 841, 863; IV, 386 proinde animi vitium hoc *oculis adfingere* noli. III, 1019 quae tamen etsi absunt, at mens *sibi*, conscia factis, praemetuens *adhibet* stimulos terretque flagellis. II, 855 propter eandem rem debent primordia rerum non *adhibere* suum *gignundis rebus* odorem. I, 1117 ita res *accendent* lumina *rebus*.

β) De statu: I, 337 namque officium quod corporis exstat, officere atque obstare, id in omni tempore *adesset omnibus*. Cfr V, 1405; III, 1078 certa quidem finis vitae *mortalibus adstat*. III, 733 corpus enim magis *his vitiis adfine* laborat. VI, 189 contemplator enim, cum *montibus adsimulata* nubila portabunt venti transversa per auras. Cfr II, 914, 980.

b) Cum nudo accusativo: I, 927 iuvat integros *accedere fontes*. Cfr IV, 2, quibus locis minus usitate nudum accusativum pro praepositione cum accusativo adhibuit Lucretius [1]. Quod hanc admisit constructionem poeta, non transitive *accedendi* verbum accipiendum est,

[1]) Cfr Keller, p. 16.

sed causa a praecipuo Lucretii amore nudum casum in loco designando usurpandi petenda est. Neque secus iudico de II, 171 et iam cetera, mortalis *quae* suadet *adire* ipsaque deducit dux vitae dia voluptas. V, 616 quo pacto aestivis e partibus aegoceratis *brumalis adeat flexus*. VI, 75 nec *delubra* deum placido cum pectore *adibis*. —

Hoc loco adverbia adfero I, 681 nil referret enim quaedam decedere, abire atque *alio adtribui*. V, 285 nam primum quicquid fulgoris disperit ei, *quo cumque accidit*. VI, 751 *quo* numquam pennis *appellunt* corpora raucae cornices. Cfr V, 36; I, 192 *huc accedit* uti etc. Cfr I, 565. II, 1077. III, 459. VI, 1022.

Iam vero ii quos proferam loci nihil praebent inusitati, quippe quibus accusativus vel nominativus in sententiis activae vel passivae formae a verbis transitivis pendens casus obiecti l. subiecti, non loci, sit: VI, 183 inde sonus sequitur, qui tardius *adficit auris* quam quae perveniunt oculorum ad lumina nostra. Cfr III, 853, 922. I, 133. II, 341. III, 50, 496; *adfligere* II, 945; *adurere* IV, 304; *accidere* V, 609; *aspergere* III, 20. I, 719; *ascendere* VI, 469; *adipisci* V, 634. II, 638. II, 998. V, 795, 821; *adolere* IV, 1237; *accendere* VI. 223, 279, 317, 321, 881. II, 943, 959. V, 173, 607, 659; *appellare* IV, 1235. V, 10; *adiuvare* I, 810, 812; *admonere* III, 1040; *admirari* VI, 850. I, 641; *adcredere* III, 856; *adopinari* IV, 816; *animum advertere* II, 125; *adflictare* IV, 1158.

Obiecti partes agunt infinitivus et enuntiatio consecutiva *(ut)*: V, 110 qua prius *adgrediar* quam de re *fundere* fata. Cfr V, 167. VI, 940, 980. III, 515 *commutare* animum qui cumque *adoritur*. V, 1341 vix *adducor ut* etc.

c) Ad ante casum iteratum: VI, 166 sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus, fulgere quam cernant oculi, quia semper *ad auris* tardius *adveniunt*. VI, 901 nocturna *ad lumina* linum nuper ubi extinctum *admoveas*. IV, 339 inde *ad nos* elisa bis *advolat*. V, 1199 vertier ad lapidem atque omnis *accedere ad aras*. III, 959 et nec

opinanti mors *ad caput adstitit*, II, 1024 sq. nam tibi vementer nova res molitur *ad auris accidere*. Cfr IV, 236; II, 1023 nunc animum nobis *adhibe veram ad rationem*. Cfr I, 51; III, 54 acrius *advertunt* animos *ad religionem*.

Verbis cum *ad* compositis adiungitur *ante:* I, 89 et mestum simul *ante aras adstare* parentem sensit.

Propter: IV, 1025 *fontem propter* amoenum *adsidet*.

In cum ablativo[1]: V, 365 *admixtumst in rebus* inane. Cfr I, 569.

Eiusdem condicionis sunt IV, 1187 quos retinere volunt *adstrictosque* esse *in amore*. IV, 820 femina quae fuit ante, *in manibus* vir uti factus videatur *adesse*. VI, 897 conveniunt aut *in* taedai *corpore adhaerent*.

In cum accusativo: III, 115 multimodis agitatur et omnis *accipit in se* laetitiae motus. Cfr VI, 656; IV, 215 iamne vides igitur quam puncto tempore imago aetheris ex oris *in terrarum accidat oras?* I, 745 nec tamen *admiscent in* eorum *corpus* inane.

Per: V, 842 vinctaque membroru m *per* totum *corpus adhaesu*.

2. „Ad" cum casu ex aliis verbis pendet.

α) De motu: VI, 1238 qui cumque suos fugitabant *visere ad aegros*. V, 1001. IV, 1021. VI, 53, 1031, 1109, 696. V, 1199. III, 959. I, 725, 969. II, 139, 191. I, 788. II, 1116. III, 362, 609. II, 1113 sq. III, 132. II, 1024. IV, 941. V, 1457. I, 95. II, 370. V, 1232. VI, 440. IV, 236, 280, 357, 668, 684, 704, 708, 389. V, 270, 635, 636, 640, 687, 711, 1199. VI, 8, 92, 165, 184, 464, 636, 733. V, 1076. VI, 316. III, 1063. II, 515. VI, 732. II, 360. IV, 341. VI, 643, 562. V, 724. III, 468, 910. II, 13. III, 63. I, 212. V, 211, 698. IV, 347. V, 1141. V, 1031. IV, 1023, 996. V, 1153, 780. III, 836. VI, 55, 28. V, 1123. III, 311, 54.

---

[1]) Vid. Keller, p. 18.

Cum adiectivo substantive usurpato: I, 987 undique ponderibus solidis confluxet *ad imum*.

Terminus significatur, ita ut *ad* idem sit, quod usque ad[1]): I, 355 rigidum permanat frigus *ad ossa*. VI, 1168.

β) De statu: VI, 694 praeterea magna ex parti mare montis *ad* eius *radices frangit* fluctus aestumque resorbet, quamquam hic quidem locus dubitationem admittit, de motu an de statu agatur.

De statu haud dubie agitur: IV, 1062 nam si abest quod aves, presto simulacra tamen sunt illius et nomen dulce *obversatur ad auris*. VI, 729 fit quoque uti pluviae, forsan, magis *ad caput* ei tempore eo *fiant*. VI, 750 est ut Athenaeis in moenibus, arcis in ipso vertice, Palladis *ad templum* Tritonidis almae, quo numquam pennis appellunt corpora raucae cornices. VI, 1265 multa siti protracta viam per proque voluta corpora *silanos ad aquarum* strata iacebant.

Separatim commemoro locutiones *esse*, *attinere*, *pertinere ad aliquid:* III, 830 nil igitur mors *est ad nos*. Cfr III, 845, 926, 972; III, 852 nil *ad nos* — *attinet*. Cfr IV, 29; III, 850 *pertineat* — *ad nos*. Cfr VI, 938 sq.

Notio motus ad aliquid facile transit ad finem exprimendum: II, 833 noscere ut hinc possis prius omnem efflare colorem particulas, quam *discedant ad semina* rerum. Cfr IV, 895; V, 255 pars etiam glebarum *ad diluviem revocatur*. Cfr VI, 292; I, 216 neque *ad nilum iteremat* res Cfr I, 237, 248, 266, 541, 544, 668, 673, 756, 791, 797, 857. II 756, 864.

Huc referendum est: V, 39 ita *ad satiatem* terra ferarum nunc etiam scatit, in quo Holtze[2]) non recte temporis significationem inesse dicit.

---

[1]) Vid. Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 71, b).

[2]) Synt. Lucr. lin. p. 71, d).

II. De tempore

cogitari licet, quamquam loci sensus premendus est, IV, 537 perpetuus sermo nigrai *noctis ad umbram* aurorae perductus ab exoriente nitore.

„Dicitur de eo tempore quod non accurate definitur, sed tantum ex propinquitate alicuius certi momenti designatur“ [1]): VI, 1192 item *ad supremum* denique *tempus* conpressae nares.

III. Comparativa vis

ad praepositionis ex locali status significatione exstitit. Namque id quod cum aliqua re comparatur apud hanc rem esse vel iacere cogitatur. Transitum ex locali significatione aperit II, 135 et quasi *proxima* sunt *ad viris* principiorum.

Comparationis vis plenior est: VI, 613 *ad* maris omnia *summam* vix instar erunt unius adaugmen. VI, 679 nil sint *ad summam* summai totius omnem.

IV. „Ad“ = „secundum“.

Hanc quoque significationem a locali status significatione ortam esse dilucide apparet ex II, 379 neque *facta* manu sunt unius *ad certam formam* primordia rerum, quo in exemplo loci significatio maxime elucet. — Localis vis iam obscurata est: III, 144 corpus paret et *ad numen* mentis momenque *movetur* II, 281 cuius *ad arbitrium* quoque copia materiai cogitur inter dum flecti. IV, 361 fit quasi ut *ad tornum* saxorum structa tuamur.

V. „Ad“ respectus.

A locali motus significatione transitur ad exprimendum usum vel id, cuius ratione habita aliquid adfir-

---

[1]) Verba sunt Handii, Turs. I, p. 90.

matur, quo pertinet etiam usus gerundii et gerundivi cum praep. *ad*[1]). IV, 831 facere *ad vitam* — quae *foret usus*. Cfr I, 185. VI, 9; II, 20 corpoream *ad naturam* pauca videmus *esse opus*. III, 397 *est* animus — *dominantior ad vitam* quam vis animai. Cfr. VI, 774. III, 776; III, 618 si non certa loca *ad nascendum* reddita cuique sunt. Cfr III, 833. II, 1027; III, 238 nec tamen haec sat sunt *ad sensum* cuncta *creandum*. Cfr VI, 473. V, 80; I, 750 quod *ad sensus nostros* minimum esse videtur. V, 569 nil *ad speciem* est contractior ignis. Cfr III, 214; IV, 708 non ita conveniunt *ad sensus* omnibus omnes. V, 1415 immutat sensus *ad pristina quaeque*.

Caput V.

In

cum accusativo constructum motum exprimit significatque aliquid in fines alicuius loci aut rei intrare; cum ablativo statum indicat, aliquid intra fines alicuius rei contineri, fieri, agi significans. Fines autem ita sunt cogitandi, ut non solum includant rem corpoream, sed etiam planitiem in latitudinem patentem[2]). — De verbis ponendi id commemorandum est, constructionem praegnantem iis effici, quippe quae verba indicent quidem motum, cum locutionem statum exprimentem, *in* cum ablativo, saepissime sibi adsciscant. Contrariam huius praepositionis *ex* praepositionem esse iam supra[3]) diximus. —

[1]) Cfr. Hand, Tursell. I, p. 112.

[2]) Kampmann, de *in* praep. usu Plautino. Vid. Holtze, Synt. prisc. script. lat. usque ad Terent. p. 76.

[3]) Vid. ad p. 34.

I. „In“ de loco positum.

1. Verba cum „in“ composita.

a.) Absolute adhibita.

α.) De motu: *insinuare* II, 436. III, 698, 780, 782. VI, 277, 355, 955. V, 854. IV, 306. I, 116, 409. V, 44, 73; *induere* IV, 817; *includere* IV, 1127. V, 519; *incidere* V, 363; *incumbere* VI, 560, 567. V, 346; *inducere* IV, 140. V, 1247; *inpendere* III, 980. VI, 564. IV, 173; *importare* V, 369; *intueri* IV, 713; *inhorrescere* VI, 1195; *incutere*, III, 382. VI, 593; *intendere* III, 950; *inclamare* III, 953; *inurere* VI, 1166; *insequi* III, 400. IV, 315, 350. III, 172; *infundere* I, 496; *incedere* III, 76; *ingredi* IV, 887, 342, 367; *inmiscere* I, 877, 895; *intendere* V, 513. VI, 109; *ingravescere* VI, 570; *implectere* III, 331; *increpare* III, 953, 963; *ingemere* III, 489. V, 209; *infringere* V, 1327. III, 155. V, 230; *inpellere* VI, 1032; *imbuere* VI, 904; *inficere* IV, 80; *inumbrare* III, 913; *immutare* V, 1415. VI, 1122; *implicare* IV, 1149; *invertere* I, 642; *imminuere* V, 626; *inclinare* II, 243. VI, 563, 573; *inlicere* IV, 1145; *inpedire* II, 786. III, 322, 484; IV, 921, 1149. VI, 394, 822; *inquirere* IV, 1189; *indicare* I, 803. III, 693. IV, 396. II, 433, 556. IV, 1019. VI, 382; *instituere* V, 15. II, 849. VI, 47; *inire* V, 537, 555, 859. II, 743. III, 344. I, 383. II, 269. III, 271, 745; *inchoare* III, 183; *inceptus* V, 391. VI, 42; *impetus* I, 293; *incursus* III, 751; *incendium* I, 903. IV, 872. V, 609. VI, 673; *inclutus* I, 40; *insignis* I, 929, II, 608. III, 1015. IV, 4. V, 1138. VI, 95. —

β.) De statu: III, 651 cum scandit et *instat*. Cfr I, 461. —

Absolute adhibitum invenitur *instat* etiam in II, 113 cuius, uti memoro, rei simulacrum et imago ante oculos semper nobis versatur et *instat*. Neque vero cum Kellero [1]) *ante oculos* et ad *versatur* et ad *instat* refero, sed ita hunc locum accipio, ut a *versatur* tan-

[1]) De verb. cum praepp. compos. ap. Lucr. usu, p. 27, supra.

tum *ante oculos* pendere, *instat* vero absolute adhibitum esse censeam. Quo modo si coniunguntur verba, locutionibus *ante oculos versari* et *instare* ubertas loquendi efficitur, qualem quantopere adamaverit Lucretius, nemo sermonis Lucretiani peritus ignorat, innumerabilibusque exemplis id (quorum in numero tamen hoc, de quo nunc ago, exemplum, ni fallor, non deprehenditur) cum alibi passim, tum vero maxime in altero capite dissertationis suae [1]) allatis satis superque explanavit Kraetsch. Sed fieri potest ut velit quispiam Kelleri coniunctionem verborum ea tueri re, quod *instare* eandem vim habere ac *stare* [2]) vel *esse,* itaque verbis *versari* et *instare* pleonasmum Lucretianum effici contendat. Quod si quis dixerit, satis habebo quaerere, quonam iure vis *in* praepositionis in verbo *instare* tam debilitata esse putetur, ut idem valere *instare* ac simplex *stare* dicatur. Immo ubique, quod sciam, in litteris latinis *in* praepositio verbi *instare* sui est iuris, atque ita quidem, ut aliquid aut in interiore alicuius rei parte aut proxime apud aliquid esse significet. Quod si ita est — neque id dubitari licet — cumque *in* proximum significans idem fere valeat ac locutio ante oculos, — *versari* vero et *stare* optime inter se respondere, non est quod moneam — pleonasmus Lucretianus bimembris plenus non exsistit nisi verbis ita coniunctis, ut alterum membrum *ante oculos versari,* alterum *instare* sit. —

Cum dativo: III, 722 animas extrinsecus *insinuari vermibus.* Cfr I, 113. III, 689. IV, 1030. II, 684. III, 729, 738; III, 378 quantula prima queant *nobis iniecta* ciere corpora sensiferos motus. Cfr II, 740; V, 1165 nunc est *mortalibus insitus* horror. I, 901 non est *lignis tamen insitus* ignis. Cfr V, 182, 538, 1047; III, 680 *nobis inferri* solitast animi vivata potestas. Cfr V, 1246; IV, 715 quae cum sunt *oculis inmissa* leonum. VI, 1174 multi —

---

[1]) De abund. dic. gen. Lucr.
[2]) Cfr Keller, p. 27.

lymphis putealibus alte *inciderunt.* Cfr VI, 351; I, 19 *omnibus incutiens* blandum per pectora amorem. V, 976 dum rosea face sol *inferret* lumina caelo. IV, 1080 et dentes *inlidunt* saepe *labellis.* I, 287 ita magno turbidus imbri *molibus incurrit,* validis cum viribus, amnis. VI, 443 fit quoque ut *involvat* venti se *nubibus* ipse vertex. VI, 1143 (morbus —) *incubuit* tandem *populo* Pandionis omnei. VI, 1232 *implicitum morbo.* VI, 1212 usque adeo mortis metus *his incesserat* acer. III, 393 semina *corporibus* nostris *inmixta* per artus. II, 286 unde haec est *nobis innata* potestas. III, 932 denique si vocem rerum natura repente mittat et hoc *alicui* nostrum sic *increpet* ipsa. III, 934 quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris *luctibus indulges?* Verbum ponendi: III, 890 *ignibus inpositum* calidis torrescere flammis. —

Motus in superficiem: II, 227 quod si forte aliquis credit graviora potesse corpora, quo citius rectum per inane feruntur, *incidere* ex supero *levioribus.* VI, 264 neque enim caligine tanta obruerent terras, nisi inaedificata superne multa forent *multis* exempto nubila sole. — Verbum ponendi: V, 543 *inpostaque nobis* pondera sunt.

b.) Una cum nudo casu.

α.) De motu (cum accusativo): III, 984 nec *Tityon* volucres *ineunt* Acherunte iacentem. IV, 568 quae pars vocum non *auris incidit*[1]) ipsas. VI, 175 ventus ubi *invasit nubem.* V, 1383 et Zephyri, cava per calamorum, sibila primum agrestis docuere cavas *inflare cicutas.* I, 406 cum semel *institerunt vestigia* certa viai. I, 82 *viam*que *indugredi* sceleris. I, 326 *mare* quae *inpendent.*

Qui quidem loci ita vulgo accipiuntur, ut verba transitivam naturam induisse accusativusque casus obiecti (non loci) esse dicatur[2]). Equidem quamquam ita huiusmodi exempla accipi posse non nego, tamen

---

[1]) De hoc verbo vid. Keller, p. 24.

[2]) Cfr ex. gr. Keller, p. 24.

verba haec intransitive, quod dicimus, adhibita, accusativumque ex usu cum aliorum scriptorum, tum maxime [1]) ipsius Lucretii, pro *in* cum accusativo in exprimendo motu in aliquid usurpatum esse cur non dici possit, non video.

Iam vero haud dubie transitiva vis premenda est in verbis (activae formae) *inrigare* V, 282; *inpellere* I, 303. IV, 527. V, 652. VI, 1057, 1064; *indipisci* III, 212; *insequi* VI, 285; *inridere* IV, 1157; *incendere* VI, 347, 1145; *inritare* IV, 1034; *inlustrare* III, 2. I, 137; *incusare* II, 1169; (passivae formae) *integere* I, 405; *inpellere* II, 236, 272. III, 188; *inbuere* II, 734; *inurere* VI, 220; *instinguere* I, 925; *inritare* V, 1318. IV, 1045. V, 1063; *incitare* VI, 137, 431, 582, 428.

β.) De statu (cum ablativo): I, 590 variae volucres ut in ordine cunctae ostendunt maculas generalis *corpore inesse.* Huic exemplo Holtzium [2]) secutus duos adieci locos dubios III, 1054 pondus *inesse animo.* VI, 984 varii sensus *animalibus insunt.* Ablativum, non ut Keller dativum [3]) ex indole sermonis Lucretiani statuo — Quod attinet ad III, 634 (et quoniam toto sentimus *corpore inesse* vitalem sensum) ex usitatissimo loquendi genere *in* ante vocabulum *totum* omissum est. —

H. l. adfero adverbia (de motu) VI, 758 quadripedes quoque *quo* simul ac vestigia primum *intulerint.* Cfr I, 16; VI, 882 *quo cumque* natans *impellitur* auris. — (de statu) III, 787 *ubi* quicquid crescat et *insit.* Cfr V, 131; III, 1080 versamur *ibidem* atque *insumus* usque.

Obiecti partes agunt infinitivus et enuntiationes. IV, 880 tantum hoc oneris *protrudere* nostri corporis *insuerit.* Cfr IV, 1282; I, 142 *inducit* noctes *vigilare* serenas. III, 997 *petere* a populo fasces *imbibit.* Cfr VI, 72; I, 55 *disserere incipiam.* Cfr IV, 29, 883. VI, 906; III, 515 *commutare* animum qui cumque adoritur et *infit.* Cfr V,

---

[1]) Cfr pp. 11,28 sq., 36 sq.

[2]) Vid. ad Synt. Lucr. lin. p. 9.

[3]) De verb. cum praepp. compos. ap. Lucr. usu, p. 25.

1208; IV, 1082 *instigant laedere* id ipsum. V, 298 *tremere* ignibus *instant.* V, 385 quod *facere intendunt.* II, 788 *inlicit ut tribuamus.* IV, 702 *investigare in qua sit* regione *locatum.*

c.) *In* ante casum iteratur.

α.) De motu (cum accusativo): VI, 234 adveniens calor eius *insinuatus in ipsum.* Cfr VI, 802. IV, 525. III, 671; VI, 441 ille *in aquam* subito totum se *inmittit.* VI, 296 est etiam cum vis extrinsecus incita venti incidit in gravidam maturo fulmine nubem. VI, 659 opturgescit enim subito pes, arripit acer saepe dolor dentes, oculos invadit *in ipsos.* I, 924 et simul incussit suavem mi *in pectus* amorem. II, 1125 dum facile *in venas* cibus omnis *inditur.* V, 1097 aestuat *in ramos incumbens* arboris arbor, queat nova vis *inrumpere.* II, 306 neque *in omne* seorsum unde coorta. I, 36 *inhians in te,* dea, visus. IV, 817 nos *in fraudem induimus* frustaminis ipsi. —

β.) De statu: V, 136 in capite aut umeris aut imis calcibus esse posset, et *innasci quavis in parte* soleret. V, 542 corporis *in pedibus* pondus sentimus inesse. Cfr III, 786. I, 173. —

Verbis cum *in* compositis adiungitur

Per: II, 115 contemplator enim, cum solis lumina cumque *inserti* fundunt radii *per* opaca domorum. II, 624 magnas *invecta per urbes.* IV, 908 *per membra* quietem *inriget.* III, 393 semina *corporibus nostris inmixta per artus,* ubi praeterea dativum sibi adscivit verbum.

Super: V, 501 liquidissimus aether *aërias super influit auras.*

2. „In“ ante casum adhibitum ex aliis verbis pendet.

Hoc genus exemplorum copia excellit vel uberrima.

α.) De motu (cum accusativo):

V, 935 defodere *in terram* virgulta. III, 477 *in venas* discessit diditus ardor. I, 33 *in gremium* qui saepe tuum se reicit. VI, 896 et scatere illa foras *in stuppam* semina. I, 227 *in lumina* vitae redducit Venus.

Cfr II, 654; I, 745 nec tamen admiscent *in* eorum *corpus* inane. VI, 77 simulacra feruntur *in mentes* hominum. IV, 472 qui capite ipse sua *in* statuit *vestigia* sese. VI, 574 et recipit prolapsa suas *in* pondera *sedes*. III, 1066 abit *in somnum* gravis. V, 1092 fulmen detulit *in terram* mortalibus ignem. I, 1062 e terris *in loca caeli* reccidere. Cfr II, 1073, 1102. IV, 870, 1043. VI, 274, 344, 580, 1133. I, 22, 170, 179. II, 617. V, 224, 781. IV, 215. VI, 763. II, 415, 475, 683, 711, 739, 796, 810, 966, 1039, 1125, 1136. III, 222, 400, 436, 456. I, 207, 251, 350, 352, 803, 1064. II, 305. IV, 222, 326, 332, 338, 376, 421, 423, 524, 566, 629, 693, 955, 1056, 1059, 1065, 1095, 1111, 1146, 1189. V, 212, 276. III, 503, 570, 591, 671, 703, 705, 707, 723, 760, 829, 936, 966, 1009. IV, 146, 148. VI, 433, 436, 441, 446, 467, 483, 496, 507, 552, 594, 606, 634, 633, 655, 659, 803, 819, 828, 842, 847, 867, 871, 872, 886. V, 815, 1126, 1255, 1366. VI, 145, 149. VI, 205, 234, 257, 296, 401, 402, 404, 425, 427. VI, 928, 946, 1021, 1029, 1123, 1126, 1130, 1152, 1172, 1173, 1206, 1207, 1249, 1259. II, 212, 215. VI, 435. II, 1154. V, 102. VI, 985. IV, 723. VI, 345. V, 1294. II, 957, 775. V, 1263. II, 745. I, 924, 795. IV, 817, 1206. V, 1005. I, 1082. II, 563, 686. V, 1012. III, 726. V, 337, 1206, 1275, 86. VI, 62, 430, 1171. I, 1027, 1030. V, 192, 193, 103. IV, 1049, 142. III, 471, 133, 115, 505, 574; VI, 1017 hoc fit idem *cunctas in partis*. VI, 299 hoc fit idem *in partis alias*. I, 966 *in omnis* tantundem *partis* infinitum omne *relinquit*. II, 1132 *in partem* peiorem liquitur aetas. Cfr I, 1007. II, 93, 131, 1048. VI, 648. I, 292. II, 208, 211, 1134. IV, 165, 226, 240, 446, 603, 725, 1050. V, 469, 642, 647. VI, 87, 383, 411, 563, 731, 930, 1041. II, 508. V, 589. —

Cum adiectivo substantive usurpato: VI, 1007 primordia ferri *in vacuum* prolapsa cadunt coniuncta. Cfr VI, 1014, 1019; VI, 817 expiratque foras *in apertum promptaque* caeli. Cfr IV, 918. V, 496. III, 465. I, 1053, 1056, 1084. V, 1434; V, 1160 celata mala *in medium* et peccata dedisse. Cfr V, 1455. —

Dicitur de mensura sonorum[1]: II, 631 *in numerumque* exultant sanguinolenti. Cfr IV, 769, 788. —

In hostili adversus aliquid motu indicando [2]) usurpatum est *in:* V, 1309 expertique sues saevos sunt mittere *in hostis*. Cfr V, 1317, VI, 399, 957. —

Notio motus in aliquid, in aliquam condicionem facile ad finem significandum abit: II, 826 quanto *in partes* res quaeque *minutas distrahitur* magis. Cfr II, 829. III, 640, 659, 669. IV, 565, 605, 606. V, 684; V, 1422 neque *in fructum convertere* quisse. Cfr II, 876, 879, 882, 927. VI, 291. V, 278. IV, 1130. I, 710; IV, 431 donec *in obscurum* coni *conduxit acumen*. Cfr V, 665; I, 215 quicque *in sua corpora* rursum *dissolvat* natura. Cfr I, 309, 533, 628, 764, 783. II, 767. III, 438. IV, 28, 41. V, 279. I, 397. III, 534. VI, 967. II, 749.

Huc referenda est locutio *in cassum:* II, 1060, 1165 *in cassum* cecidisse labores. V, 1430 *in cassum frustraque* laborat. V, 1002 *temere in cassum frustra*. Cfr V, 1129.

De motu in superficiem alicuius rei dicitur: IV, 1286 guttas *in saxa* cadentis. V, 401 deturbarit equis *in terram*. Cfr V, 1297, 1321, 1370. VI, 745, 837, 736. II, 714, 209. —

β.) De statu (cum ablativo):

Cum ponendi verbis: V, 1188 *in caelo*que deum sedes et templa *locarunt*. VI, 965 lique fit *in eius posta vapore*. III, 390 *corpore* quae *in nostro* culices et cetera *ponunt*. III, 891 *in melle situm* suffocari. Cfr VI, 1223, 193. V, 686. I, 879. II, 884. III, 95, 98, 610. IV, 97, 702. V, 12. III, 3, 857. I, 1057. II, 603, 332.

Cum aliis verbis: VI, 897 *in* taedai *corpore* adhaerent. Cfr VI, 905, 1016; II, 601 *in curru* — agitare leones. III, 718 nullas partis *in corpore liquerit* ex se. I, 210 esse videlicet *in terris* primordia rerum. Cfr I, 868. II, 477. IV, 420, 1100; V, 128 sicut *in aethere* non arbor, non aequore salso nubes esse queunt. Cfr III, 784; I, 896

[1]) Cfr Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 100, d.)

[2]) Cfr Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 100, b.)

semina multimodis inmixta *latere* multarum rerum *in rebus* communia debent. I, 815 *in rebus* primordia *mixta sunt.* Cfr II, 852. IV, 310, 644, 671; I, 569 *admixtum* quoniam semel *est in rebus* inane. Cfr V, 365; I, 330 *est in rebus* inane. VI, 749 *est* ut *Athenaeis in moenibus.* VI, 1116 *in Achaeis finibus.* I, 717 quem triquetris terrarum gessit *in oris.* Cfr I, 270, 348, 360, 361, 366, 398, 421, 442, 472, 482, 490, 505, 511, 748, 843, 862, 871, 891, 894, 955, 1057, 1078, 314. II, 117, 122, 126, 140, 399, 436, 438, 550, 589, 602, 673, 958, 965, 1011, 1019, 1031, 1077. III, 11, 95, 117, 120, 127, 128, 138, 169, 227, 256, 266. IV, 61, 67, 98, 132, 213, 263, 293, 331, 364, 432, 436, 617, 714, 736, 820, 834, 926, 976, 1140, 1221. V, 129, 142, 143, 292, 395, 586, 806, 903, 916, 925, 962, 1071. III, 274, 276, 379, 391, 483, 506, 508, 541, 575, 590, 616, 623, 664, 666, 683, 684, 709, 714, 765, 793. VI, 45, 50, 140, 157, 198, 224, 261, 308, 394, 398, 437, 449, 452, 495, 500, 526, 528, 539, 589, 630, 684, 701, 713, 770, 806, 840, 877, 883, 898, 909, 942, 1034, 1046, 1052, 1128, 1228, 1278. III, 773. II, 588, 695. I, 488, 497. II, 91. III, 493. V, 526, 528. VI, 844, 1037, 801. I, 249. II, 1096. VI, 890. V, 692. VI, 785. II, 29. V, 1392. IV, 307. V, 973. VI, 873. II, 56, 58. III, 88, 90. IV, 231, 232, 235, 312, 322, 348, 456. V, 175. VI, 36, 38. I, 63, 130, 152. VI, 143. I, 823. II, 688, 1013. I, 658. II, 780. sqq. II, 1075 esse alios aliis *terrarum in partibus* orbis. Cfr V, 696, 734, 147. III, 101, 611. IV, 293. II, 35. —

Qui quidem loci supra enumerati ut nihil praebent inusitati, ita fieri non potest, quin offendamur usu *in* praepositionis una cum vocibus *regio, locus, totus* praeter opinionem adhibitae: [1]) VI, 415 pluere *in multis regionibus.* III, 610 verum deficere *in certa regione locatam.* III, 140 idque *situm media regione in* pectoris haeret. IV, 702 investigare *in qua* sit *regione locatum.* IV, 786 cum praesertim aliis eadem *in regione locoque* longe dissimilis animus res cogitet omnis. II, 1099 *omnibus inve locis*

---

[1]) Cfr Staedler, p. 46.

esse omni tempore presto. IV, 798 propterea fit uti quovis in tempore quaeque presto sint simulacra *locis in quisque* parata. V, 1164 quae nunc *in magnis* florent sacra rebu' *locis*que. III, 138 sed caput esse quasi et dominari *in corpore toto* consilium. III, 799 quare, corpus ubi interiit, periisse necessest confiteare animam distractam *in corpore toto.* VI, 629 et passim *toto* terrarum spargere *in orbi.* —

Hic usus, qui ad naturam sermonis Lucretii inconstantem penitus perspiciendam [1]) maximam adfert lucem, eo valde memorabilis est, quod praepositio, quae iam ex vulgari usu omitti debuit, contra usum ipsius Lucretii nudum casum in loco designando libenter usurpantis, admissa est, cum quattuor certe locis (IV, 786, 887. III, 138, 799.) nihil prohiberet quominus omitteretur praepositio. Hoc tamen perspicuitatis cuidam studio tribuerim. Uno certe loco III, 799 praepositio vix potuit omitti. Nam cum omissa praepositio id effecisset, ut obscuritas sententiae exsisteret verbis *distractam corpore toto*, quippe quae facile atque nescio an facilius eam praeberent sensum, ut de motu ex corpore cogitaretur, ambiguitatis evitandae studio hoc loco inservire praepositionem verisimillimum mihi videtur.

V, 1171 *in somnis.* Cfr V, 1181. V, 62, 885. IV, 34, 770, 789, 965, 972, 988, 1006, 1012, 1097; IV, 1009 *somno in leni.* III, 805 (perenni) iunctum *in concilio.* Cfr I, 666, 772, 775. II, 564; V, 1306 sic alid ex alio peperit discordia tristis, horribile humanis quod gentibus esset *in armis.* V, 1360 *opere in duro.* Cfr VI, 815; IV, 1187 adstrictosque esse *in amore.* Cfr III, 992; I, 589 variae volucres ut *in ordine* cunctae ostendant maculas. II, 884 *in quali* sint *ordine* quaeque locata. Cfr III, 857; I, 851 quid *in oppressu* valido durabit eorum. III, 111 *in nullo* caput interea sit

---

[1]) De qua re vid. ad pp 2 et 19 sqq Cfr praeterea Staedler p. 45, infra.

forte *dolore*. Cfr III, 537; III, 581 quin *in taetro* tabescat *odore*. IV, 636. II, 533. VI, 1089. II, 284. IV, 811. V, 1355. III, 314. VI, 393, 647. II, 187. III, 900. V, 84, 670. IV. 777. I, 331. III, 206. I, 995. V, 619. III, 8. II, 297. II, 586. IV, 963, 985. I, 111. VI, 245. VI, 429. V, 91. II, 279. III, 1056. VI, 34. IV, 1156. V, 1308. III, 298. IV, 1113, 1202, 24. I, 845. III, 105. III, 866, 875, 880, 885, 888, 916, 1022. II, 216, 581, 891. III, 319, 370. IV, 256, 822, 898. V, 247, 666, 1091. VI, 1056, 1230. VI, 711. I, 80, 370, 1052. II, 308, 184. V, 1056. III, 401, 402, 407, 463. I, 43, 653. III, 53, 55, 56. I, 408. VI, 917. III, 288, 295. IV, 237. I, 415. IV, 921. VI, 556. II, 107. III. 84, 471, 477. II, 897. III, 114. VI, 113, 29, 937, 301, 302, 307, 321, 450, 1164. V, 1164. IV, 1101, 1134, 1141, 1142. V, 478, 518. IV, 388, 396, 915. III, 1076, 999, 941, 826. IV, 454, 999. I, 173, II, 483. V, 178. V, 1273, 1277. IV, 1086, 1107, 1260. I, 879 II, 149, 246, 583, 868. III, 106, 185; VI, 941;

Inusitate *in* praepositio una cum adiectivo *contentus* deprehenditur: IV, 964 atque *in ea ratione* fuit *contenta* magis mens. Sui iuris tamen hoc loco *in* praepositio est. Neque enim verbis *in ea ratione* tam id indicatur qua re, quam quo quasi in loco, qua condicione contenta fuerit mens. —

Offensionem etiam praebet praepositio *in* una cum verbo *niti* occurrens: V, 909 *nixus in* hoc uno novitatis *nomine*. Fieri potuit, ut metri necessitate coactus poeta hoc loco a solito usu recederet. Malo tamen sic hanc locutionem accipere, ut *in* ad rem magis sensibus subiciendam a poeta positum esse putem. Item, ubi ablativum qualitatis exspectes, *in* cum ablativo adhibitum est. Huiusmodi exemplum est V, 241 quippe etenim, quorum partis et membra videmus *corpore nativo, in mortalibus* esse *figuris*. Sic enim cum Wakefieldo ex codicum *corpore nativom mortalibus esse figuris* edidi. Lachmann Naugerium secutus *corpore nativo ac mortalibus esse figuris* edendum censuit iis nisus rebus, quod paulo ante praecederet *ac* et praeterea *ac* mini-

mum distaret ab *m*. Equidem facere non potui quin Wakefieldi coniecturam probarem. Nam praeterquam quod *in* non magis, quin potius minus distat ab *m*, *in* eadem ratione usurpatum deprehenditur II, 819 principiorum formamenta queunt *in quovis* esse *nitore*. Quodsi edendum est *corpore nativo, in mortalibus esse figuris,* exemplum habemus studii Lucretii elocutionis variandae, *(corpore nativo — in mortalibus figuris)* de quo iam supra pluribus egimus [1]). —

Separatim adfero nomina regionum: II, 634 *in Creta*. II, 586 *in Peloponneso*. VI, 756 *in Syria*. VI, 1107 *in Aegypto*. VI, 1115 *Aegypto in media*. VI, 1108 *in Ponto*. — Nusquam apud Lucretium *in* cum nomine urbis coniunctum est. Nam quod VI, 585 in *Syria Sidone* invenitur, *in* ad *Syria* tantum referendum est. Certe nulla est causa cur ad *Sidone* quoque *in* referamus. —

Cum adiectivo substantive usurpato: V, 1080 *in salso*. III, 604 *in aperto*. V, 451 *in medio*. Cfr VI, 1006. V, 486; IV, 268 duritiem penitus saxi sentimus *in alto*. V, 465 *in alto* corpore concreto subtexunt nubila caelum. Cfr V, 584; III, 1085 *in dubiost*. Cfr III, 836; IV, 1137 *in ambiguo*. VI, 277 vortex versatur *in arto*. VI, 158 franguntur *in arto* concreti montes nimborum.

Pertinet huc *in* praepositio coniuncta cum ablativo gerundii et gerundivi: I, 59 *reddunda in ratione*. Cfr I, 778. II, 290. V, 1335; III, 706 *in manando* dissolvuntur. Cfr VI, 143; IV, 720 *in remorando* laedere ne possint. Cfr VI, 333; III, 491 *in iactando* membra fatigat. —

Indolem, facultatem, potestatem exprimit *in* [2]): II, 190 quantum *in se* est. Cfr II, 201, 205, 247. —

Sequuntur exempla, in quibus *in* cum abl. vicibus genetivi aut pronominis possessivi fungi videtur, totumque indicat, cuius aliqua de parte aliquid dicitur: VI, 1190 *in manibus* vero nervi trahere. Cfr III, 528;

---

[1]) Vid. ad pp. 21 sq.

[2]) Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 94, f).

III, 148 caput laeditur *in nobis*. IV, 513 *in fabrica* — omnia mendose fieri. Cfr III, 587. IV, 651. —

Dicitur de multitudine et copia, cuius aliquid partem efficit[1]): I, 691 neque ullam rem veram *in numero* rerum constare nisi ignem. Cfr V, 180, 123. I, 446: II, 447 *in quo* iam *genere*. Cfr IV, 185. VI, 1061. IV, 510 II, 535, 537, 567, 666, 821; V, 59 quo genere *in primis* animi natura reperta est. Cfr II, 447. III, 296. IV, 111, 147, 151; 209, 779, 855. V, 1413. VI, 536, 1237; II, 1080 *in primis animalibus* — invenies sic montivagum genus. VI, 1247 *in*que *aliis* alium populum sepelire suorum certantes. —

In statum in superficie exprimit: VI, 749 arcis *in ipso vertice*. I, 1059 *in terra*que retro requiescere posta. Cfr III, 644, 173; II, 317 *in colli*. Cfr II, 322, 332; I, 897 *in magnis* — *montibus*. Cfr V, 824, 1244. VI, 422; VI, 1157 *limine in ipso*. IV, 442 *in summo* fluitare *liquore*. I, 305 suspensae *in litore* vestes. IV, 1203 *in triviis*.

II. „In" de tempore adhibitum.

α) De motu (cum accusativo).

Primum adfero locutiones *in aeternum* (II, 570.) *in perpetuum* (IV, 427. V, 981) — *In dies* legitur IV, 1069. V, 483, 706, 733, 1105, 1279, 1307, 1370.

Simili ratione: V, 274 innumerabiliter privas mutatur *in horas*.

Temporis vis inest etiam in VI, 712 Nilus *in aestatem* crescit. —

β.) De statu (cum ablativo).

Localis sensus, non temporalis[2]) premendus est his locis: V, 676 non nimis incertis fiunt *in partibus anni* III, 862 ipse quoque esse *in eo* tum *tempore*. I, 234, quod si *in eo spatio* atque *ante acta aetate* fuere.

---

[1]) Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 91, c).
[2]) Holtze, Synt. Lucr. lin. p. 94, g).

De loco vel potius de condicione, non de tempore, ut vult Holtze,[1]) accipienda est *in vita* his locis: III, 979, 982, 995, 1014. V, 227; *in origine* III, 771; I, 460 rebus ab ipsis consequitur sensus, transactum quid sit *in aevo.* III, 357 perdit enim quod non proprium fuit eius *in aevo.* V, 172 cui nil accidit aegri *tempore in ante acto.*

Sui iuris esse *in* cum notionibus temporis coniunctum, cum non tam de ipso tempore, quam de condicione temporis agitur, notum est.[2]) Quare quae huius generis exempla apud Lucretium occurrunt VI, 375 nec mirumst, *in eo* si *tempore* plurima fiunt fulmina. IV, 1076 potiundi *tempore in ipso,* nihil illa quidem inusitati praebent.

Ubi vero de ipso tempore agitur, ibi usus vulgaris *in* praepositionem non admittit. Quare metro sine dubio tribuenda sunt: V, 672 nec minus *in certo* dentes cadere imperat aetas *tempore.* V, 1081 alias *alio* iaciunt *in tempore* voces. IV, 793 *nocturno* facere ut possint *in tempore* ludos. III, 24 neque ulla res animi pacem delibare *tempore in ullo.* Cfr V, 878. III, 114; I, 337 id *in omni tempore* adesset omnibus. Cfr I, 26; IV, 164 *temporis in puncto* rerum simulacra ferantur. Cfr IV, 193. IV, 155. VI, 230. I, 98, 93; I, 320 quae corpora decedant *in tempore quoque.* Cfr I, 327. IV, 499, 775, 797.

Neque quicquam habet offensionis *in* cum temporis notionibus usurpatum, cum continuitas temporis respicitur,[3]) ita ut *in* eandem fere habeat vim atque *intra:* VI, 813 perire *in tempore parvo.* Cfr III, 553. V, 106; IV, 1287 nonne vides etiam guttas in saxa cadentis umoris *longo in spatio* pertundere saxa? Cfr V, 1285. II, 78.

---

[1]) Cfr Schaeffer, Comm. de usu praepp. Terent. part. I. p. 34; Schmalz in Muelleri Handbuch etc. II, p. 435. Kühner, Ausf. Gramm. II, p. 263 sq.; Draeger, Hist. Synt. I, 430, 4).

[2]) l. c. p. 94, g).

[3]) Schaeffer, p. 34.; Kühner, II, 263 sq. Draeger, I, p. 531, 6).

Huc fortasse referendum est *in tempore* (I, 351, 1037).

Loci vim, non temporis, ut putat Holtze [1]), vindicandam esse huic loco: VI, 622 largiter *in tanto spatio* tamen auferet undis, sole clarius est. —

Absolutis quas instituimus quaestionibus, quoniam in prima huius disputationis parte paucis exposuimus, quae valuerit apud Lucretium ratio singulas formas praepositionum adhibendi, de significationibus restat ut gravissimas res sub unum conspectum collectas summatim attingamus.

Primum igitur de ipsa ratione Lucretii praepositiones verbis adfigendi id commemoratu dignum est, nonnulla saltem apud Lucretium vestigia exstare studii *de* et *ad* praepositiones perspicuitatis causa verbis adiciendi, cuius usus exempla in prisca latinitate crebro occurrunt. Namque verba composita, qualia sunt *deperdere, deperire, adaugere, adcredere, adlaudabilis* ex vulgari loquendi genere originem ducere constat [2]).

In structura verborum cum praepositionibus compositorum quamvis deprehendantur dativus et iterata ante casum praepositio, longe tamen antecellens nudus casus haud sine venustate antiquitatem resipit.

Hae igitur duae res, amor verba composita simplicibus praeferendi et nudum casum pro praepositione cum casu adhibendi, exempla habenda sunt archaismi Lucretiani ex sermone cotidiano priscae latinitatis orti.

Sed etiam recentioris vulgarismi [3]) haud rara apud Lucretium exstant exempla. Cuius rei causa inde

---

[1]) Synt. Lucr. lin. p. 94, g.)

[2]) Cfr Aug. O. Fr. Lorenz ad Plaut. Pseud. einl. 36, et Schmalz in I. Muelleri Handbuch etc. II, p. 440.

[3]) Cfr G. Kuehn, Quaestiones Lucr. gramm. et metr. p. 3. Et aliorum et huius vocabulis non semper optimis et latinis usus sum commoditati magis legentium quam severis latine scribendi praeceptis consulens.

sine dubio repetenda est, quod voluit poeta omnibus scribere, etiam populo, non solum eruditis.[1]) Exemplorum, quae huc pertinent, nonnulla inveniuntur, quibus usus pleonasmi vel abundantis locutionis Lucretianus, latissime omnibus in rebus patens, illustratur. Nam quod dicit Lucretius *adesse praesto* pro solito *esse praesto* cave *ad* praepositionem metricae rationi tribuas, sed est hoc exemplum pleonasmi vere Lucretiani, cuius plura exempla cum in aliis multis rebus[2]) (cfr ex. gr. *retro remanare, retro recellere, retro remensumst)* deprehendimus, tum in causa exprimenda exhibet haec locutio maxime Lucretiana: III, 90 illud *ab hoc igitur (= itaque igitur)* quaerendum est.

Perspicuitatis studium, quod in pleonasmo valuisse apparet, aliis quoque in rebus discerni licet. Namque ei inservit *ab* contra usum solitum pro solo ablativo in instrumento et causa ab animo proficiscente exprimenda positum. Quo quidem in usu cum tamen ita versatus sit poeta, ut saepe una eademque in enuntiatione nudum ablativum et *ab* cum ablativo promiscue admitteret, nonnullis certe locis studium variandae elocutionis videtur valuisse. Huius studii exemplum praebere mihi videtur etiam V, 241 *corpore* nativo, *in* mortalibus esse *figuris.* In notione ablativi qualitatis indicanda *in* praepositione cum ablativo una cum nudo ablativo adhibita variationem elocutionis sectatum esse poetam puto.

Denique restat ut amorem Lucretii elliptice loquendi commemoremus. Quae quidem ratio quam apte brevitati poeticae inserviat vix est quod moneam.

---

[1]) Cfr Kuehn, Quaestt. Lucr. gramm. et metr. p. 4.

[2]) Vid. Kraetsch, De abund. dic. gen. Lucr.

AUG 11 [illegible]

[redacted]